EDITIONES CRITICÆ

SCRIPTORUM GRÆCORUM ET ROMANORUM

A COLLEGIO PHILOLOGICO CLASSICO

ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ

PUBLICI IURIS FACTÆ.

ALBII TIBULLI CARMINA.

ACCEDUNT SULPICIÆ ELEGIDIA.

BUDAPESTINI.

TYPIS SOCIETATIS FRANKLINIANÆ.

MCMV.

ALBII TIBULLI CARMINA.

ACCEDUNT SULPICIÆ ELEGIDIA.

EDIDIT, ADNOTATIONIBUS EXEGETICIS ET CRITICIS
INSTRUXIT

GEYZA NÉMETHY
ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ SODALIS.

BUDAPESTINI.

SUMPTIBUS ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ.

MCMV.

PRÆFATIO.

Cum post Ludolphum Dissenium, cuius editio anno MDCCCXXXV. publici iuris facta est, nemo huc usque inventus esset, qui omnia Tibulli carmina novo commentario exegetico ornaret, suscepi hunc laborem mihi sane iucundissimum, amicis poeseos Romanæ præcipueque iuventuti antiquitatis studiosæ gratum me facturum putans.* Explicui igitur elegias, quæ in sylloge Tibulli nomine insignita iure tribuuntur poetæ præstantissimo (i. e. ll. I. et II., l. IV. 2—6. et 13—14.), adiecique Sulpiciæ elegidia (IV. 7—12.), sine quibus Tibulli carmina de amore

* Ceterum hæc editio πάρεργον est operis maioris de elegia Romana Hungarice scripti. Iussu enim Academiæ Litterarum Hungaricæ ante aliquot annos scribere cœperam historiam poeseos Romanæ ætatis aureæ in quattuor tomos distributam: primus editus est Budapestini sumptibus eiusdem Academiæ anno 1902. (*Vergilius élete és művei* i. e. de vita et scriptis Vergilii, cuius censuram vide in ephemeride: *Deutsche Litteraturzeitung*, a. 1904. p. 2737.); secundus (*A római elegia*, i. e. de elegia Romana) fine huius anni in publicum prodibit; in tertio et quarto agetur de Horatio et Ovidio. Cum igitur inter cetera de elegiis Tibulli quærens editionum notis instructarum ope sæpius destituerer, ipse, quod alii prætermiserunt, facere cogebar.

Sulpiciæ et Cerinthi scripta (IV. 2—6.) non possunt recte intellegi. Omissæ sunt Lygdami elegiæ (l. III.), quas una cum panegyrico Messallæ (l. IV. 1.) mox peculiari tractabimus libello.

In elegiis edendis non servavi ordinem codicibus traditum, sed temporum ordinem, quo eæ scriptæ esse mihi videntur, secutus sum; in adnotationibus exegeticis non solum virorum doctorum, sed etiam civium Academicorum rationibus consulere volui, quare ne faciliores quidem locos silentio prætermittendos putavi; in adnotationibus criticis exscripsi locos omnes, ubi a codice Ambrosiano discesseram, exposuique causas emendationum mearum, quibus versus temporum iniuria corruptos sanare studui; in excursibus commentario adiectis id maxime egi, ut quæstiones ad ordinem carminum chronologicum pertinentes, quantum in me fuit, solverem.

Quibus de ratione edendi quam brevissime præmissis restat, ut librum meum benevolentiæ virorum doctorum ea, qua par est, reverentia commendem.

Dabam Budapestini mense Martio a. MCMV.

Geyza Némethy
Academiæ Litterarum Hungaricæ sodalis.

ALBII TIBULLI CARMINA.

ACCEDUNT SULPICIÆ ELEGIDIA.

MARATHUS.

I.

«Sic umbrosa tibi contingant tecta, Priape, I. 4.
Ne capiti soles, ne noceantque nives:
Quæ tua formosos cepit sollertia? Certe
Non tibi barba nitet, non tibi culta coma est,
Nudus et hibernæ producis frigora brumæ,
Nudus et æstivi tempora sicca Canis.»
Sic ego; tum Bacchi respondit rustica proles
Armatus curva sic mihi falce deus:
«O fuge te teneræ puerorum credere turbæ.
Nam causam iusti semper amoris habent.
Hic placet, angustis quod equum compescit habenis:
Hic placidam niveo pectore pellit aquam:
Hic, quia fortis adest audacia, cepit: at illi
Virgineus teneras stat pudor ante genas.
Sed ne te capiant, primo si forte negabit,
Tædia: paulatim sub iuga colla dabit.
Longa dies homini docuit parere leones,
Longa dies molli saxa peredit aqua:
Annus in apricis maturat collibus uvas,
Annus agit certa lucida signa vice.
Nec iurare time: Veneris periuria venti
Irrita per terras et freta summa ferunt.
Gratia magna Iovi: vetuit pater ipse valere,

Iurasset cupide quidquid ineptus amor:
Perque suas impune sinit Dictynna sagittas
Adfirmes, crines perque Minerva suos.
At si tardus eris, errabis: transiet ætas
Quam cito: non segnis stat remeatque dies.
Quam cito purpureos deperdit terra colores,
Quam cito formosas populus alba comas.
Quam iacet, infirmæ venere ubi fata senectæ,
Qui prior Eleo est carcere missus equus.
Vidi iam iuvenem, premeret cum serior ætas,
Mærentem stultos præteriisse dies.
Crudeles divi! serpens novus exuit annos:
Formæ non ullam fata dedere moram.
Solis æterna est Baccho Phœboque iuventas:
Nam decet intonsus crinis utrumque deum.
Tu, puero quodcumque tuo temptare libebit,
Cedas: obsequio plurima vincit amor.
Neu comes ire neges, quamvis via longa paretur
Et Canis arenti torreat arva siti,
Quamvis prætexens picta ferrugine cælum
Portendat pluvias imbrifer arcus aquas.
Vel si cæruleas puppi volet ire per undas,
Ipse levem remo per freta pelle ratem.
Nec te pæniteat duros subiisse labores
Aut opera insuetas atteruisse manus,
Nec, velit insidiis altas si claudere valles,
Dum placeas, umeri retia ferre negent.
Si volet arma, levi temptabis ludere dextra:
Sæpe dabis nudum, vincat ut ille, latus.
Tum tibi mitis erit, rapias tum cara licebit
Oscula: pugnabit, sed tamen apta dabit.
Rapta dabit primo, mox offeret ipse roganti,

Post etiam collo se implicuisse volet.
Heu male nunc artes miseras hæc sæcula tractant:
Iam tener adsuevit munera velle puer.
At tu, qui Venerem docuisti vendere primus,
Quisquis es, infelix urgeat ossa lapis.
Pieridas, pueri, doctos et amate poetas,
Aurea nec superent munera Pieridas.
Carmine purpurea est Nisi coma: carmina ni sint,
Ex umero Pelopis non nituisset ebur.
Quem referent Musæ, vivet, dum robora tellus,
Dum cælum stellas, dum vehet amnis aquas.
At qui non audit Musas, qui vendit amorem,
Idææ currus ille sequatur Opis
Et tercentenas erroribus expleat urbes
Et secet ad Phrygios vilia membra modos.
Blanditiis vult esse locum Venus ipsa: querelis
Supplicibus, miseris fletibus illa favet.»
Hæc mihi, quæ canerem Titio, deus edidit ore:
Sed Titium coniunx hæc meminisse vetat.
Pareat ille suæ: vos me celebrate magistrum,
Quos male habet multa callidus arte puer.
Gloria cuique sua est: me, qui spernentur, amantes
Consultent: cunctis ianua nostra patet.
Tempus erit, cum me Veneris præcepta ferentem
Deducat iuvenum sedula turba senem.
Heu heu quam Marathus lento me torquet amore!
Deficiunt artes, deficiuntque doli.
Parce, puer, quæso, ne turpis fabula fiam,
Cum mea ridebunt vana magisteria.

II.

Non ego celari possum, quid nutus amantis I. 8.
Quidve ferant miti lenia verba sono.
Nec mihi sunt sortes nec conscia fibra deorum,
Præcinit eventus nec mihi cantus avis:
Ipsa Venus magico religatum bracchia nodo
Perdocuit multis non sine verberibus.
Desine dissimulare: deus crudelius urit,
Quos videt invitos succubuisse sibi.
Quid tibi nunc molles prodest coluisse capillos
Sæpeque mutatas disposuisse comas,
Quid fuco splendente genas ornare, quid ungues
Artificis docta subsecuisse manu?
Frustra iam vestes, frustra mutantur amictus
Ansaque compressos colligat arta pedes.
Illa placet, quamvis inculto venerit ore
Nec nitidum tarda compserit arte caput.
Num te carminibus, num te pallentibus herbis
Devovit tacito tempore noctis anus?
Cantus vicinis fruges traducit ab agris,
Cantus et iratæ detinet anguis iter,
Cantus et e curru Lunam deducere temptat,
Et faceret, si non æra repulsa sonent.
Quid queror heu misero carmen nocuisse, quid herbas?
Forma nihil magicis utitur auxiliis:
Sed corpus tetigisse nocet, sed longa dedisse
Oscula, sed femori conseruisse femur.
Nec tu difficilis puero tamen esse memento:
Persequitur pœnis tristia facta Venus.
Munera ne poscas: det munera canus amator,
Ut foveas molli frigida membra sinu.

Carior est auro iuvenis, cui levia fulgent
Ora nec amplexus aspera barba terit.
Huic tu candentes umero suppone lacertos,
Et regum magnæ despiciantur opes.
At Venus inveniet puero concumbere furtim,
Dum tumet et teneros conserit usque sinus,
Et dare anhelanti pugnantibus umida linguis
Oscula et in collo figere dente notas.
Non lapis hanc gemmæque iuvant, quæ frigore sola
Dormiat et nulli sit cupienda viro.
Heu sero revocatur amor seroque iuventas,
Cum vetus infecit cana senecta caput.
Tum studium formæ est: coma tum mutatur, ut annos
Dissimulet viridi cortice tincta nucis:
Tollere tum cura est albos a stirpe capillos
Et faciem dempta pelle referre novam.
At tu, dum primi floret tibi temporis ætas,
Utere: non tardo labitur illa pede.
Neu Marathum torque: puero quæ gloria victo est?
In veteres esto dura, puella, senes.
Parce precor tenero: non illi sontica causa est,
Sed nimius luto corpora tingit amor.
Vel miser absenti mæstas quam sæpe querelas
Conicit et lacrimis omnia plena madent!
«Quid me spernis?» ait. «Poterat custodia vinci:
Ipse dedit cupidis fallere posse deus.
Nota Venus furtiva mihi est, ut lenis agatur
Spiritus, ut nec dent oscula rapta sonum:
Et possum media quamvis obrepere nocte
Et strepitu nullo clam reserare fores.
Quid prosunt artes, miserum si spernit amantem
Et fugit ex ipso sæva puella toro?

Vel cum promittit, subito sed perfida fallit,
Est mihi nox multis evigilanda malis.
Dum mihi venturam fingo, quodcumque movetur,
Illius credo tunc sonuisse pedes.»
Desistas lacrimare, puer: non frangitur illa,
Et tua iam fletu lumina fessa tument.
Oderunt, Pholoe, moneo, fastidia divi,
Nec prodest sanctis tura dedisse focis.
Hic Marathus quondam miseros ludebat amantes,
Nescius ultorem post caput esse deum:
Sæpe etiam lacrimas fertur risisse dolentis
Et cupidum ficta detinuisse mora:
Nunc omnes odit fastus, nunc displicet illi,
Quæcumque opposita est ianua dura sera.
At te pœna manet, ni desinis esse superba.
Quam cupies votis hunc revocare diem!

III.

Quid mihi, si fueras miseros læsurus amores, I. 9.
Fœdera per divos, clam violanda, dabas?
A miser, et si quis primo periuria celat,
Sera tamen tacitis Pœna venit pedibus.
Parcite, cælestes: æquum est impune licere
Numina formosis lædere vestra semel.
Lucra petens habili tauros adiungit aratro
Et durum terræ rusticus urget opus;
Lucra petituras freta per parentia ventis
Ducunt instabiles sidera certa rates:
Muneribus meus est captus puer. At deus illa
In cinerem et liquidas munera vertat aquas.
Iam mihi persolvet pœnas, pulvisque decorem

Detrahet et ventis horrida facta coma;
Uretur facies, urentur sole capilli,
Deteret invalidos et via longa pedes.
Admonui quotiens: «Auro ne pollue formam:
Sæpe solent auro multa subesse mala.
Divitiis captus si quis violavit amorem,
Asperaque est illi difficilisque Venus.
Ure meum potius flamma caput et pete ferro
Corpus et intorto verbere terga seca.
Nec tibi celandi spes sit peccare paranti:
Est deus, occultos qui vetat esse dolos.
Ipse deus tacito permisit, læve, ministro,
Ederet ut multo libera verba mero:
Ipse deus somno domitos emittere vocem
Iussit et invitos facta tegenda loqui.»
Hæc ego dicebam: nunc me flevisse loquentem,
Nunc pudet ad teneros procubuisse pedes.
Tunc mihi iurabas nullo te divitis auri
Pondere, non gemmis vendere velle fidem,
Non tibi si pretium Campania terra daretur,
Non tibi si Bacchi cura Falernus ager.
Illis eriperes verbis mihi sidera cæli
Lucere et rubras fulminis esse vias.
Quin etiam flebas: at non ego fallere doctus
Tergebam umentes credulus usque genas.
Quid faciam, nisi et ipse fores in amore puellæ?
Sed precor exemplo sit levis illa tuo.
O quotiens, verbis ne quisquam conscius esset,
Ipse comes multa lumina nocte tuli!
Sæpe insperanti venit tibi munere nostro
Et latuit clausas post adoperta fores.
Tum miser interii, stulte confisus amari:

Nam poteram ad laqueos cautior esse tuos.
Quin etiam attonita laudes tibi mente canebam,
At me nunc nostri Pieridumque pudet.
Illa velim rapida Vulcanus carmina flamma
Torreat et liquida deleat amnis aqua.
Tu procul hinc absis, cui formam vendere cura est
Et pretium plena grande referre manu.
At tu, qui puerum donis corrumpere es ausus,
Rideat adsiduis uxor inulta dolis,
Et cum furtivo iuvenem lassaverit usu,
Tecum interposita languida veste cubet.
Semper sint externa tuo vestigia lecto,
Et pateat cupidis semper aperta domus:
Nec lasciva soror dicatur plura bibisse
Pocula vel plures emeruisse viros.
Illam sæpe ferunt convivia ducere Baccho,
Dum rota Luciferi provocet orta diem:
Illa nulla queat melius consumere noctem
Aut operum varias disposuisse vices.
At tua perdidicit: nec tu, stultissime, sentis,
Cum tibi non solita corpus ab arte movet.
Tune putas illam pro te disponere crines
Aut tenues denso pectere dente comas?
Istane persuadet facies, auroque lacertos
Vinciat et Tyrio prodeat apta sinu?
Non tibi, sed iuveni cuidam vult bella videri,
Devoveat pro quo remque domumque tuam.
Nec facit hoc vitio, sed corpora fœda podagra
Et senis amplexus culta puella fugit.
Huic tamen accubuit noster puer: hunc ego credam
Cum trucibus Venerem iungere posse feris.
Blanditiasne meas aliis tu vendere es ausus,

Tune aliis demens oscula ferre mea?
Tum flebis, cum me vinctum puer alter habebit
Et geret in regno regna superba tuo.
At tua tum me pœna iuvet, Venerique merenti
Fixa notet casus aurea parma meos:
«Hanc tibi fallaci resolutus amore Tibullus
Dedicat et grata sis, dea, mente rogat.»

DETESTATIO BELLI.

(I. 10.)

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?
Quam ferus et vere ferreus ille fuit!
Tum cædes hominum generi, tum prœlia nata,
Tum brevior diræ mortis aperta via est.
An nihil ille miser meruit, nos ad mala nostra
Vertimus, in sævas quod dedit ille feras?
Divitis hoc vitium est auri, nec bella fuerunt,
Faginus adstabat cum scyphus ante dapes.
Non arces, non vallus erat, somnumque petebat
Securus sparsas dux gregis inter oves.
Tunc mihi vita foret dulcis nec tristia nossem
Arma nec audissem corde micante tubam.
Nunc ad bella trahor et iam quis forsitan hostis
Hæsura in nostro tela gerit latere.
Sed patrii servate Lares: aluistis et idem,
Cursarem vestros cum tener ante pedes.
Neu pudeat prisco vos esse e stipite factos:
Sic veteris sedes incoluistis avi.
Tunc melius tenuere fidem, cum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus æde deus.
Hic placatus erat, seu quis libaverat uvam,
Seu dederat sanctæ spicea serta comæ:
Atque aliquis voti compos liba ipse ferebat

Postque comes purum filia parva favum.
At nobis ærata, Lares, depellite tela,
. . . .
. . . .
Hostiaque e plena rustica porcus hara.
Hanc pura cum veste sequar myrtoque canistra
Vincta geram, myrto vinctus et ipse caput.
Sic placeam vobis: alius sit fortis in armis,
Sternat et adversos Marte favente duces,
Ut mihi potanti possit sua dicere facta
Miles et in mensa pingere castra mero.
Quis furor est atram bellis arcessere mortem?
Imminet et tacito clam venit illa pede.
Non seges est infra, non vinea culta, sed audax
Cerberus et Stygiæ navita turpis aquæ:
Illic perfossisque genis ustoque capillo
Errat ad obscuros pallida turba lacus.
Quam potius laudandus hic est, quem prole parata
Occupat in parva pigra senecta casa!
Ipse suas sectatur oves, at filius agnos,
Et calidam fesso comparat uxor aquam.
Sic ego sim, liceatque caput candescere canis,
Temporis et prisci facta referre senem.
Interea Pax arva colat. Pax candida primum
Duxit araturos sub iuga panda boves:
Pax aluit vites et sucos condidit uvæ,
Funderet ut nato testa paterna merum:
Pace bidens vomerque nitent, at tristia duri
Militis in tenebris occupat arma situs.
. . . .
. . . .
Rusticus e lucoque vehit, male sobrius ipse,

Uxorem plaustro progeniemque domum.
Sed Veneris tunc bella calent, scissosque capillos
Femina perfractas conqueriturque fores:
Flet teneras obtusa genas: sed victor et ipse
Flet sibi dementes tam valuisse manus.
At lascivus Amor rixæ mala verba ministrat,
Inter et iratum lentus utrumque sedet.
A lapis est ferrumque, suam quicumque puellam
Verberat: e caelo deripit ille deos.
Sit satis e membris tenuem rescindere vestem,
Sit satis ornatus dissoluisse comæ,
Sit lacrimas movisse satis: quater ille beatus,
Quo tenera irato flere puella potest.
Sed manibus qui sævus erit, scutumque sudemque
Is gerat et miti sit procul a Venere.
At nobis, Pax alma, veni spicamque teneto,
Profluat et pomis candidus ante sinus.

DELIA.

I.

Ibitis Aegæas sine me, Messalla, per undas. I. 3.
  O utinam memores ipse cohorsque mei:
Me tenet ignotis ægrum Phæacia terris:
  Abstineas avidas Mors modo nigra manus.
Abstineas, Mors atra, precor: non hic mihi mater,
  Quæ legat in mæstos ossa perusta sinus.
Non soror, Assyrios cineri quæ reddat odores
  Et fleat effusis ante sepulcra comis.
Delia non usquam, quæ me cum mitteret urbe,
  Dicitur ante omnes consuluisse deos.
Illa sacras pueri sortes ter sustulit, illi
  Rettulit e triviis omnia certa puer.
Cuncta dabant reditus: tamen est deterrita numquam,
  Quin fleret nostras despueretque vias.
Ipse ego solator, cum iam mandata dedissem,
  Quærebam tardas anxius usque moras.
Aut ego sum causatus aves, dant omina dira,
  Saturnive sacram me tenuisse diem.
O quotiens ingressus iter mihi tristia dixi
  Offensum in porta signa dedisse pedem!
Audeat invito ne quis discedere Amore,
  Aut sciet egressum se prohibente deo.
Quid tua nunc Isis mihi, Delia, quid mihi prosunt

Illa tua totiens æra repulsa manu,
Quidve, pie dum sacra colis, pureque lavari
Te — memini — et puro secubuisse toro?
Nunc, dea, nunc succurre mihi: nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis:
Ut mea votivas persolvens Delia voces
Ante sacras lino tecta iores sedeat,
Bisque die resoluta comas tibi dicere laudes
Insignis turba debeat in Pharia.
At mihi contingat patrios celebrare Penates
Reddereque antiquo menstrua tura Lari.
Quam bene Saturno vivebant rege, prius quam
Tellus in longas est patefacta vias!
Nondum cæruleas pinus conscenderat undas,
Effusum ventis præbueratque sinum,
Nec vagus ignotis repetens compendia terris
Presserat externa navita merce ratem.
Illo non validus subiit iuga tempore taurus,
Non domito frenos ore momordit equus,
Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva, lapis.
Ipsæ mella dabant quercus, ultroque ferebant
Obvia securis ubera lactis oves.
Non acies, non ira fuit, non bella, nec ensem
Immiti sævus duxerat arte faber.
Nunc Iove sub domino cædes et vulnera semper,
Nunc mare, nunc leti mille repente viæ.
Parce, pater. Timidum non me periuria terrent,
Non dicta in sanctos impia verba deos.
Quod si fatales iam nunc explevimus annos,
Fac lapis inscriptis stet super ossa notis:
«Hic iacet immiti consumptus morte Tibullus,

Messallam terra dum sequiturque mari.»
Sed me, quod facilis tenero sum semper Amori,
Ipsa Venus campos ducet in Elysios.
Hic choreæ cantusque vigent, passimque vagantes
Dulce sonant tenui gutture carmen aves:
Fert casiam non culta seges, totosque per agros
Floret odoratis terra benigna rosis:
Ac iuvenum series teneris immixta puellis
Ludit et adsidue prœlia miscet Amor.
Illic est, cuicumque rapax mors venit amanti,
Et gerit insigni myrtea serta coma.
At scelerata iacet sedes in nocte profunda
Abdita, quam circum flumina nigra sonant:
Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues
Sævit et huc illuc impia turba fugit:
Tunc niger in porta serpentum Cerberus ore
Stridet et æratas excubat ante fores.
Illic Iunonem temptare Ixionis ausi
Versantur celeri noxia membra rota:
Porrectusque novem Tityos per iugera terræ
Adsiduas atro viscere pascit aves.
Tantalus est illic et circum stagna: sed acrem
Iam iam poturi deserit unda sitim:
Et Danai proles, Veneris quod numina læsit,
In cava Lethæas dolia portat aquas.
Illic sit, quicumque meos violavit amores,
Optavit lentas et mihi militias.
At tu casta precor maneas, sanctique pudoris
Adsideat custos sedula semper anus.
Hæc tibi fabellas referat positaque lucerna
Deducat plena stamina longa colu:
At circa gravibus pensis adfixa puella

Paulatim somno fessa remittat opus.
Tunc veniam subito, nec quisquam nuntiet ante,
Sed videar cælo missus adesse tibi.
Tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos,
Obvia nudato, Delia, curre pede.
Hoc precor, hunc illum nobis Aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis.

II.

Divitias alius fulvo sibi congerat auro I. 1.
Et teneat culti iugera multa soli,
Quem labor adsiduus vicino terreat hoste,
Martia cui somnos classica pulsa fugent:
Me mea paupertas vita traducat inerti,
Dum meus adsiduo luceat igne focus.
Ipse seram teneras maturo tempore vites
Rusticus et facili grandia poma manu:
Nec Spes destituat, sed frugum semper acervos
Præbeat et pleno pinguia musta lacu.
Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in trivio florida serta lapis,
Et quodcumque mihi pomum novus educat annus,
Libatum agricolæ ponitur ante deo.
Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
Spicea, quæ templi pendeat ante fores:
Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
Terreat ut sæva falce Priapus aves.
Vos quoque, felicis quondam, nunc pauperis agri
Custodes, fertis munera vestra, Lares:
Tunc vitula innumeros lustrabat cæsa iuvencos,
Nunc agna exigui est hostia parva soli:

Agna cadet vobis, quam circum rustica pubes
  Clamet: «Io messes et bona vina date.»
Hic modo iam possim contentus vivere parvo
  Nec semper longæ deditus esse viæ,
Sed Canis æstivos ortus vitare sub umbra
  Arboris ad rivos prætereuntis aquæ.
Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentem
  Aut stimulo tardos increpuisse boves,
Non agnamve sinu pigeat fetumve capellæ
  Desertum oblita matre referre domum.
At vos exiguo pecori, furesque lupique,
  Parcite: de magno est præda petenda grege.
Hic ego pastoremque meum lustrare quotannis
  Et placidam soleo spargere lacte Palem.
Adsitis, divi, nec vos de paupere mensa
  Dona nec e puris spernite fictilibus.
Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
  Pocula, de facili composuitque luto.
Non ego divitias patrum fructusque requiro,
  Quos tulit antiquo condita messis avo:
Parva seges satis est, tuto requiescere lecto
  Si licet et solito membra levare toro.
Quam iuvat immites ventos audire cubantem
  Et dominam tenero continuisse sinu,
Aut gelidas hibernus aquas cum fuderit auster,
  Securum somnos imbre iuvante sequi!
Hoc mihi contingat: sit dives iure, furorem
  Qui maris et tristes ferre potest pluvias.
O quantum est auri pereat potiusque smaragdi,
  Quam fleat ob nostras ulla puella vias.
Te bellare decet terra, Messalla, marique,
  Ut domus hostiles præferat exuvias:

Me retinent vinctum formosæ vincla puellæ.
Et sedeo duras ianitor ante fores.
Non ego laudari curo, mea Delia: tecum
Dum modo sim, quæso, segnis inersque vocer.
Te spectem, suprema mihi cum venerit hora,
Te teneam moriens deficiente manu.
Flebis et arsuro positum me, Delia, lecto,
Tristibus et lacrimis oscula mixta dabis.
Flebis: non tua sunt duro præcordia ferro
Vincta, nec in tenero stat tibi corde silex.
Illo non iuvenis poterit de funere quisquam
Lumina, non virgo sicca referre domum.
Tu manes ne læde meos, sed parce solutis
Crinibus et teneris, Delia, parce genis.
Interea, dum fata sinunt, iungamus amores:
Iam veniet tenebris Mors adoperta caput;
Iam subrepet iners ætas, nec amare decebit,
Dicere nec cano blanditias capite.
Nunc levis est tractanda Venus, dum frangere postes
Non pudet et rixas inseruisse iuvat.
Hic ego dux milesque bonus: vos, signa tubæque,
Ite procul, cupidis vulnera ferte viris:
Ferte et opes: ego composito securus acervo
Despiciam dites despiciamque famem.

III.

Asper eram et bene discidium me ferre loquebar: I. 5.
At mihi nunc longe gloria fortis abest.
Namque agor, ut per plana citus sola verbere turben,
Quem celer adsueta versat ab arte puer.
Ure ferum et torque, libeat ne dicere quicquam

Magnificum post hæc, horrida verba doma.
Parce tamen, per te furtivi fœdera lecti,
Per Venerem quæso compositumque caput.
Ille ego, cum tristi morbo defessa iaceres,
Te dicor votis eripuisse meis:
Ipseque te circum lustravi sulfure puro,
Carmine cum magico præcinuisset anus:
Ipse procuravi, ne possent sæva nocere
Somnia, ter sancta deveneranda mola:
Ipse ego velatus filo tunicisque solutis
Vota novem Triviæ nocte silente dedi.
Omnia persolvi: fruitur nunc alter amore,
Et precibus felix utitur ille meis.
At mihi felicem vitam, si salva fuisses,
Fingebam demens, sed renuente deo.
Rura colam, frugumque aderit mea Delia custos,
Area dum messes sole calente teret,
Aut mihi servabit plenis in lintribus uvas
Pressaque veloci candida musta pede.
Consuescet numerare pecus, consuescet amantis
Garrulus in dominæ ludere verna sinu.
Illa deo sciet agricolæ pro vitibus uvam,
Pro segete spicas, pro grege ferre dapem.
Illa regat cunctos, illi sint omnia curæ:
At iuvet in tota me nihil esse domo.
Huc veniet Messalla meus, cui dulcia poma
Delia selectis detrahat arboribus,
Et, tantum venerata virum, tunc sedula curet,
Tunc paret atque epulas ipsa ministra gerat.
Hæc mihi fingebam, quæ nunc eurusque notusque
Iactat odoratos vota per Armenios.
Sæpe ego temptavi curas depellere vino,

At dolor in lacrimas verterat omne merum.
Sæpe aliam tenui, sed, cum iam gaudia adirem,
Admonuit dominæ deseruitque Venus.
Tunc me discedens devotum femina dixit —
A pudet — et narrat scire nefanda meam.
Non facit hoc verbis, facie tenerisque lacertis
Devovet et flavis nostra puella comis.
Talis ad Hæmonium Nereis Pelea quondam
Vecta est frenato cærula pisce Thetis.
Hæc nocuere mihi, quod adest huic dives amator,
Venit in exitium callida lena meum.
Sanguineas edat illa dapes atque ore cruento
Tristia cum multo pocula felle bibat:
Hanc volitent animæ circum sua fata querentes
Semper et e tectis strix violenta canat:
Ipsa fame stimulante furens herbasque sepulcris
Quærat et a sævis ossa relicta lupis,
Currat et inguinibus nudis ululetque per urbes,
Post agat e triviis aspera turba canum.
Eveniet: dat signa deus: sunt numina amanti,
Sævit et iniusta lege relicta Venus.
At tu quam primum sagæ præcepta rapacis
Desere: nam donis vincitur omnis amor.
Pauper erit præsto semper tibi, pauper adibit
Primus et in tenero fixus erit latere;
Pauper in angusto fidus comes agmine turbæ
Subicietque manus efficietque viam;
Pauper ad occultos furtim deducet amicos
Vinclaque de niveo detrahet ipse pede.
Heu canimus frustra nec verbis victa patescit
Ianua, sed plena est percutienda manu.
At tu, qui potior nunc es, mea fata timeto:

Versatur celeri fors levis orbe rotæ.
Non frustra quidam iam nunc in limine perstat
Sedulus ac crebro prospicit ac refugit,
Et simulat transire domum, mox deinde recurrit
Solus et ante ipsas exscreat usque fores.
Nescio quid furtivus amor parat. Utere quæso,
Dum licet: in liquida nat tibi linter aqua.

IV.

Adde merum vinoque novos compesce dolores, I. 2.
Occupet ut fessi lumina victa sopor:
Neu quisquam multo percussum tempora Baccho
Excitet, infelix dum requiescit amor.
Nam posita est nostræ custodia sæva puellæ,
Clauditur et dura ianua firma sera.
Ianua difficilis dominæ, te verberet imber,
Te Iovis imperio fulmina missa petant.
Ianua, iam pateas uni mihi, victa querelis,
Neu furtim verso cardine aperta sones.
Et mala si qua tibi dixit dementia nostra,
Ignoscas: capiti sint precor illa meo.
Te meminisse decet, quæ plurima voce peregi
Supplice, cum posti florida serta darem.
Tu quoque ne timide custodes, Delia, falle.
Audendum est: fortes adiuvat ipsa Venus.
Illa favet, seu quis iuvenis nova limina temptat,
Seu reserat fixo dente puella fores;
Illa docet molli furtim derepere lecto,
Illa pedem nullo ponere posse sono;
Illa viro coram nutus conferre loquaces
Blandaque compositis abdere verba notis.

Nec docet hoc omnes, sed quos nec inertia tardat,
Nec vetat obscura surgere nocte timor.
En ego cum tenebris tota vagor anxius urbe,
. . . .
Nec sinit occurrat quisquam, qui corpora ferro
Vulneret aut rapta præmia veste petat.
Quisquis amore tenetur, eat tutusque sacerque
Qualibet: insidias non timuisse decet.
Non mihi pigra nocent hibernæ frigora noctis,
Non mihi, cum multa decidit imber aqua.
Non labor hic lædit, reseret modo Delia postes
Et vocet ad digiti me taciturna sonum.
Parcite luminibus, seu vir seu femina fiat
Obvia: celari vult sua furta Venus.
Neu strepitu terrete pedum, neu quærite nomen,
Neu prope fulgenti lumina ferte face.
Si quis et imprudens aspexerit, occulat ille
Perque deos omnes se meminisse neget:
Nam fuerit quicumque loquax, is sanguine natam,
Is Venerem e rabido sentiet esse mari.
Nec tamen huic credet coniunx tuus, ut mihi verax
Pollicita est magico saga ministerio.
Hanc ego de cælo ducentem sidera vidi,
Fluminis hæc rapidi carmine vertit iter,
Hæc cantu finditque solum manesque sepulcris
Elicit et tepido devocat ossa rogo:
Iam tenet infernas magico stridore catervas,
Iam iubet aspersas lacte referre pedem.
Cum libet, hæc tristi deducit nubila cælo:
Cum libet, æstivo convocat orbe nives.
Sola tenere malas Medeæ dicitur herbas,
Sola feros Hecatæ perdomuisse canes.

Hæc mihi composuit cantus, quis fallere posses:
Ter cane, ter dictis despue carminibus.
Ille nihil poterit de nobis credere cuiquam,
Non sibi, si in molli viderit ipse toro.
Tu tamen abstineas aliis: nam cetera cernet
Omnia: de me uno sentiet ille nihil.
Quid credam? Nempe hæc eadem se dixit amores
Cantibus aut herbis solvere posse meos,
Et me lustravit tædis, et nocte serena
Concidit ad magicos hostia pulla deos.
Non ego totus abesset amor, sed mutuus esset.
Orabam, nec te posse carere velim.
Ferreus ille fuit, qui te cum posset habere,
Maluerit prædas stultus et arma sequi.
Ille licet Cilicum victas agat ante catervas,
Ponat et in capto Martia castra solo,
Totus et argento contextus, totus et auro
Insideat celeri conspiciendus equo:
Ipse boves mea si tecum modo Delia possim
Iungere et in solo pascere monte pecus,
Et te dum liceat teneris retinere lacertis,
Mollis et in dura sit mihi somnus humo.
Quid Tyrio recubare toro sine amore secundo
Prodest, cum fletu nox vigilanda venit?
Nam neque tunc plumæ nec stragula picta soporem
Nec sonitus placidæ ducere posset aquæ.
Num Veneris magnæ violavi numina verbo,
Et mea nunc pœnas impia lingua luit?
Num feror incestus sedes adiisse deorum
Sertaque de sanctis deripuisse focis?
Non ego, si merui, dubitem procumbere templis
Et dare sacratis oscula liminibus,

Non ego tellurem genibus perrepere supplex
Et miserum sancto tundere poste caput.
At tu, qui lætus rides mala nostra, caveto
Mox tibi: non uni sæviet usque deus.
Vidi ego, qui iuvenum miseros lusisset amores,
Post Veneris vinclis subdere colla senem
Et sibi blanditias tremula componere voce
Et manibus canas fingere velle comas:
Stare nec ante fores puduit caræve puellæ
Ancillam medio detinuisse foro.
Hunc puer, hunc iuvenis turba circum terit arta,
Despuit in molles et sibi quisque sinus.
At mihi parce, Venus: semper tibi dedita servit
Mens mea: quid messes uris acerba tuas?

V.

Semper, ut inducar, blandos offers mihi vultus, I. 6.
Post tamen es misero tristis et asper, Amor.
Quid tibi sævitiæ mecum est? An gloria magna est
Insidias homini composuisse deum?
Nam mihi tenduntur casses: iam Delia furtim
Nescio quem tacita callida nocte fovet.
Illa quidem iurata negat, sed credere durum est:
Sic etiam de me pernegat usque viro.
Ipse miser docui, quo posset ludere pacto
Custodes: heu heu nunc premor arte mea.
Fingere tunc didicit causas, ut sola cubaret,
Cardine tunc tacito vertere posse fores:
Tunc sucos herbasque dedi, quis livor abiret,
Quem facit impresso mutua dente Venus.
At tu, fallacis coniunx incaute puellæ,

Me quoque servato, peccet ut illa nihil.
Neu iuvenes celebret multo sermone, caveto,
Neve cubet laxo pectus aperta sinu,
Neu te decipiat nutu, digitoque liquorem
Ne trahat et mensæ ducat in orbe notas.
Exibit quam sæpe, time, seu visere dicet
Sacra Bonæ maribus non adeunda Deæ.
At mihi si credas, illam sequar unus ad aras:
Tunc mihi non oculis sit timuisse meis.
Sæpe, velut gemmas eius signumque probarem,
Per causam memini me tetigisse manum:
Sæpe mero somnum peperi tibi, at ipse bibebam
Sobria supposita pocula victor aqua.
Non ego te læsi prudens: ignosce fatenti.
Iussit Amor: contra quis ferat arma deos?
Ille ego sum, nec me iam dicere vera pudebit,
Instabat tota cui tua nocte canis.
Quid tenera tibi coniuge opus? Tua si bona nescis
Servare, frustra clavis inest foribus.
Te tenet, absentes alios suspirat amores
Et simulat subito condoluisse caput.
At mihi servandam credas: non sæva recuso
Verbera, detrecto non ego vincla pedum.
Tum procul absitis, quisquis colit arte capillos,
Et fluit effuso cui toga laxa sinu:
Quisquis et occurret, ne possit crimen habere,
Stet procul aut alia se occulat ante via.
Sic fieri iubet ipse deus, sic magna sacerdos
Est mihi divino vaticinata sono.
Hæc ubi Bellonæ motu est agitata, nec acrem
Flammam, non amens verbera torta timet:
Ipsa bipenne suos cædit violenta lacertos

Sanguineque effuso spargit inulta deam,
Statque latus præfixa veru, stat saucia pectus,
Et canit eventus, quos dea magna monet:
«Parcite, quam custodit Amor, violare puellam,
Ne pigeat magno post didicisse malo.
Attigerit, labentur opes, ut vulnere nostro
Sanguis, ut hic ventis diripiturque cinis.»
Et tibi nescio quas dixit, mea Delia, pœnas:
Si tamen admittas, sit precor illa levis.
Non ego te propter parco tibi, sed tua mater
Me movet atque iras aurea vincit anus.
Hæc mihi te adducit tenebris multoque timore
Coniungit nostras clam taciturna manus:
Hæc foribusque manet noctu me adfixa proculque
Cognoscit strepitus me veniente pedum.
Vive diu mihi, dulcis anus: proprios ego tecum,
Sit modo fas, annos contribuisse velim.
Te semper natamque tuam te propter amabo:
Quidquid agit, sanguis est tamen illa tuus.
Sit modo casta, doce, quamvis non vitta ligatos
Impediat crines nec stola longa pedes.
Et mihi sint duræ leges laudare nec ullam
Possim ego, quin oculos appetat illa meos:
Et si quid peccasse putet, ducarque capillis
Immerito in medias proripiarque vias.
Non ego te pulsare velim, sed, venerit iste
Si furor, optarim non habuisse manus.
Nec sævo sis casta metu, sed mente fideli:
Mutuus absenti te mihi servet amor.
At quæ fida fuit nulli, post victa senecta
Ducit inops tremula stamina torta manu
Firmaque conductis adnectit licia telis

Tractaque de niveo vellere ducta putat.
Hanc animo gaudente vident iuvenumque catervæ
Commemorant merito tot mala ferre senem:
Hanc Venus ex alto flentem sublimis Olympo
Spectat et infidis quam sit acerba, monet.
Hæc aliis maledicta cadant: nos, Delia, amoris
Exemplum cana simus uterque coma.

IN NATALEM MESSALLÆ.

(I. 7.)

Hunc cecinere diem Parcæ fatalia nentes
Stamina, non ulli dissoluenda deo:
Hunc fore, Aquitanas posset qui fundere gentes,
Quem tremeret forti milite victus Atax.
Evenere: novos pubes Romana triumphos
Vidit et evinctos bracchia capta duces:
At te victrices lauros, Messalla, gerentem
Portabat niveis currus eburnus equis.
Non sine me est tibi partus honos: Tarbella Pyrene
Testis et Oceani litora Santonici,
Testis Arar Rhodanusque celer magnusque Garunna,
Carnutis et flavi cærula lympha Liger.
An te, Cydne, canam, tractis qui leniter undis
Cæruleus placidis per vada serpis aquis,
Quantus et ætherio contingens vertice nubes
Frigidus intonsos Taurus alat Cilicas?
Quid referam, ut volitet celebres intacta per urbes
Alba Palæstino sancta columba Syro,
Utque maris vastum prospectet turribus æquor
Prima ratem ventis credere docta Tyros,
Qualis et, arentes cum findit Sirius agros,
Fertilis æstiva Nilus abundet aqua?
Nile pater, quanam possim te dicere causa

Aut quibus in terris occuluisse caput?
Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
Arida nec pluvio supplicat herba Iovi.
Te canit atque suum pubes miratur Osirim
Barbara, Memphiten plangere docta bovem.
Primus aratra manu sollerti fecit Osiris
Et teneram ferro sollicitavit humum,
Primus inexpertæ commisit semina terræ
Pomaque non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adiungere vitem,
Hic viridem dura cædere falce comam:
Illi iucundos primum matura sapores
Expressa insuetis uva dedit pedibus.
Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Movit et ad certos nescia membra modos:
Bacchus et agricolæ magno confecta labore
Pectora lætitiæ dissoluenda dedit:
Bacchus et adflictis requiem mortalibus adfert,
Crura licet dura compede pulsa sonent.
Non tibi sunt tristes curæ nec luctus, Osiri,
Sed chorus et cantus et levis aptus amor,
Sed varii flores et frons redimita corymbis,
Fusa sed ad teneros lutea palla pedes
Et Tyriæ vestes et dulcis tibia cantu
Et levis occultis conscia cista sacris.
Huc ades et centum ludis Geniumque choreis
Concelebra et multo tempora funde mero:
Illius et nitido stillent unguenta capillo,
Et capite et collo mollia serta gerat.
Sic venias hodierne: tibi dem turis honores,
Liba et Mopsopio dulcia melle feram.
At tibi succrescat proles, quæ facta parentis

Augeat et circa stet veneranda senem.
Nec taceat monumenta viæ, quem Tuscula tellus
Candidaque antiquo detinet Alba Lare.
Namque opibus congesta tuis hic glarea dura
Sternitur, hic apta iungitur arte silex.
Te canit agricola, e magna cum venerit urbe
Serus, inoffensum rettuleritque pedem.
At tu, natalis multos celebrande per annos,
Candidior semper candidiorque veni.

AMBARVALIA.

(II. 1.)

Quisquis adest, faveat: fruges lustramus et agros,
  Ritus ut a prisco traditus exstat avo.
Bacche, veni, dulcisque tuis e cornibus uva
  Pendeat, et spicis tempora cinge, Ceres.
Luce sacra requiescat humus, requiescat arator,
  Et grave suspenso vomere cesset opus.
Solvite vincla iugis: nunc ad præsepia debent
  Plena coronato stare boves capite.
Omnia sint operata deo: non audeat ulla
  Lanificam pensis imposuisse manum.
Vos quoque abesse procul iubeo, discedat ab aris,
  Cui tulit hesterna gaudia nocte Venus.
Casta placent superis: pura cum veste venite
  Et manibus puris sumite fontis aquam.
Cernite, fulgentes ut eat sacer agnus ad aras
  Vinctaque post olea candida turba comas.
Di patrii, purgamus agros, purgamus agrestes:
  Vos mala de nostris pellite limitibus,
Neu seges eludat messem fallacibus herbis,
  Neu timeat celeres tardior agna lupos.
Tunc nitidus plenis confisus rusticus agris
  Ingeret ardenti grandia ligna foco,
Turbaque vernarum, saturi bona signa coloni,
  Ludet et ex virgis exstruet ante casas.
Eventura precor: viden ut felicibus extis
  Significet placidos nuntia fibra deos?

Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos
  Consulis et Chio solvite vincla cado.
Vina diem celebrent: non festa luce madere
  Est rubor, errantes et male ferre pedes.
Sed: «Bene Messallam» sua quisque ad pocula dicat,
  Nomen et absentis singula verba sonent.
Gentis Aquitanæ celeber Messalla triumphis
  Et magna intonsis gloria victor avis,
Huc ades aspiraque mihi, dum carmine nostro
  Redditur agricolis gratia cælitibus.
Rura cano rurisque deos. His vita magistris
  Desuevit querna pellere glande famem:
Illi compositis primum docuere tigillis
  Exiguam viridi fronde operire domum.
Illi etiam tauros primi docuisse feruntur
  Servitium et plaustro supposuisse rotam.
Tum victus abiere feri, tum consita pomus,
  Tum bibit irriguas fertilis hortus aquas,
Aurea tum pressos pedibus dedit uva liquores
  Mixtaque securo est sobria lympha mero.
Rura ferunt messes, calidi cum sideris æstu
  Deponit flavas annua terra comas.
Rure levis verno flores apis ingerit alveo,
  Compleat ut dulci sedula melle favos.
Agricola adsiduo primum satiatus aratro
  Cantavit certo rustica verba pede
Et satur arenti primum est modulatus avena
  Carmen, ut ornatos diceret ante deos,
Agricola et minio suffusus, Bacche, rubenti
  Primus inexperta duxit ab arte choros.
Huic datus a pleno, memorabile munus, ovili
  Dux pecoris: parvas auxerat hircus opes.

Rure puer verno primum de flore coronam
  Fecit et antiquis imposuit Laribus.
Rure etiam teneris curam exhibitura puellis
  Molle gerit tergo lucida vellus ovis.
Hinc et femineus labor est, hinc pensa colusque,
  Fusus et apposito pollice versat opus:
Atque aliqua adsiduæ textrix operata Minervæ
  Cantat et applauso tela sonat latere.
Ipse quoque inter agros interque armenta Cupido
  Natus et indomitas dicitur inter equas.
Illic indocto primum se exercuit arcu:
  Ei mihi, quam doctas nunc habet ille manus!
Nec pecudes, velut ante, petit: fixisse puellas
  Gestit et audaces perdomuisse viros.
Hic iuveni detraxit opes, hic dicere iussit
  Limen ad iratæ verba pudenda senem:
Hoc duce custodes furtim transgressa iacentes
  Ad iuvenem tenebris sola puella venit
Et pedibus prætemptat iter suspensa timore,
  Explorat cæcas cui manus ante vias.
A miseri, quos hic graviter deus urget! At ille
  Felix, cui placidus leniter adflat Amor.
Sancte, veni dapibus festis, sed pone sagittas
  Et procul ardentes hinc precor abde faces.
Vos celebrem cantate deum pecorique vocate
  Voce: palam pecori, clam sibi quisque vocet.
Aut etiam sibi quisque palam: nam turba iocosa
  Obstrepit et Phrygio tibia curva sono.
Ludite: iam Nox iungit equos, currumque sequuntur
  Matris lascivo sidera fulva choro,
Postque venit tacitus furvis circumdatus alis
  Somnus et incerto Somnia nigra pede.

SULPICIÆ ELEGIDIA.

I.

Invisus natalis adest, qui rure molesto IV. 8.
Et sine Cerintho tristis agendus erit.
Dulcius urbe quid est? An villa sit apta puellæ
Atque Arretino frigidus amnis agro?
Iam, nimium Messalla mei studiose, quiescas:
Non tempestivæ sæpe, propinque, viæ.
Hic animum sensusque meos abducta relinquo,
Arbitrio quamvis non sinis esse meo.

II.

Scis iter ex animo sublatum triste puellæ? IV. 9.
Natali Romæ iam licet esse tuæ.
Omnibus ille dies nobis natalis agatur,
Qui necopinanti nunc tibi forte venit.

III.

Gratum est, securus multum quod iam tibi de me IV. 10.
Permittis, subito ne male inepta cadam.
Sit tibi cura togæ potior pressumque quasillo
Scortum, quam Servi filia Sulpicia.
Solliciti sunt pro nobis, quibus illa dolori est,
Ne cedam ignoto maxima causa toro.

IV.

Estne tibi, Cerinthe, tuæ pia cura puellæ, IV. 11.
  Quod mea nunc vexat corpora fessa calor?
A ego non aliter tristes evincere morbos
  Optarim, quam te si quoque velle putem.
At mihi quid prosit morbos evincere, si tu
  Nostra potes lento pectore ferre mala?

V.

Ne tibi sim, mea lux, æque iam fervida cura, IV. 12.
  Ac videor paucos ante fuisse dies,
Si quicquam tota commisi stulta iuventa,
  Cuius me fatear pænituisse magis,
Hesterna quam te solum quod nocte reliqui,
  Ardorem cupiens dissimulare meum.

VI.

Tandem venit amor, qualem texisse pudori, IV. 7.
  Quam nudasse alicui, sit mihi, Fama, magis.
Exorata meis illum Cytherea Camenis
  Attulit in nostrum deposuitque sinum.
Exsolvit promissa Venus: mea gaudia narret,
  Dicetur si quis non habuisse sua.
Non ego signatis quicquam mandare tabellis,
  Ne legat id nemo quam meus ante, velim,
Sed peccasse iuvat, vultus componere famæ
  Tædet: cum digno digna fuisse ferar.

TIBULLI ELEGIDIA DE AMORE SULPICIÆ

I.

Sulpicia est tibi culta tuis, Mars magne, kalendis: IV. 2.
Spectatum e cælo, si sapis, ipse veni.
Hoc Venus ignoscet: at tu, violente, caveto,
Ne tibi miranti turpiter arma cadant.
Illius ex oculis, cum vult exurere divos,
Accendit geminas lampadas acer Amor.
Illam, quidquid agit, quoquo vestigia movit,
Componit furtim subsequiturque Decor.
Seu solvit crines, fusis decet esse capillis:
Seu compsit, comptis est veneranda comis.
Urit, seu Tyria voluit procedere palla:
Urit, seu nivea candida veste venit.
Talis in æterno felix Vertumnus Olympo
Mille habet ornatus, mille decenter habet.
Sola puellarum digna est, cui mollia caris
Vellera det sucis bis madefacta Tyros,
Possideatque, metit quidquid bene olentibus arvis
Cultor odoratæ dives Arabs segetis
Et quascumque niger rubro de litore gemmas
Proximus eois colligit Indus aquis.
Hanc vos, Pierides, festis cantate kalendis,
Et testudinea Phœbe superbe lyra.

Hoc sollemne sacrum multos huic fumet in annos:
Dignior est vestro nulla puella choro.

II.

Parce meo iuveni, seu quis bona pascua campi IV. 3.
Seu colis umbrosi devia montis aper,
Nec tibi sit duros acuisse in prœlia dentes:
Incolumem custos hunc mihi servet Amor.
Sed procul abducit venandi Delia cura:
O pereant silvæ deficiantque canes!
Quis furor est, quæ mens, densos indagine colles
Claudentem teneras lædere velle manus?
Quidve iuvat furtim latebras intrare ferarum
Candidaque hamatis crura notare rubis?
Sed tamen, ut tecum liceat, Cerinthe, vagari,
Ipsa ego per montes retia torta feram,
Ipsa ego velocis quæram vestigia cervi
Et demam celeri ferrea vincla cani.
Tunc mihi, tunc placeant silvæ si, lux mea, tecum
Arguar ante ipsas concubuisse plagas:
Tunc veniat licet ad casses, inlæsus abibit,
Ne Veneris cupidæ gaudia turbet, aper.
Nunc sine me sit nulla Venus, sed lege Dianæ,
Caste puer, casta retia tange manu:
Et quæcumque meo furtim subrepit amori,
Incidat in sævas diripienda feras.
At tu venandi studium concede parenti,
Et celer in nostros ipse recurre sinus.

III.

Huc ades et teneræ morbos expelle puellæ, IV. 4.
  Huc ades, intonsa Phœbe superbe coma.
Crede mihi, propera: nec te iam, Phœbe, pigebit
  Formosæ medicas applicuisse manus.
Effice, ne macies pallentes occupet artus,
  Neu notet informis languida membra color,
Et quodcumque mali est et quidquid triste timemus,
  In pelagus rapidis evehat amnis aquis.
Sancte, veni, tecumque feras, quicumque sapores,
  Quicumque et cantus corpora fessa levant:
Neu iuvenem torque, metuit qui fata puellæ
  Votaque pro domina vix numeranda facit.
Interdum vovet, interdum, quod langueat illa,
  Dicit in æternos aspera verba deos.
Pone metum, Cerinthe: deus non lædit amantes,
  Tu modo semper ama: salva puella tibi est.
21 Nil opus est fletu: lacrimis erit aptius uti,
  Si quando fuerit tristior illa tibi.
17 At nunc tota tua est, te solum candida secum
  Cogitat et frustra credula turba sedet.
Phœbe, fave: laus magna tibi tribuetur in uno
  Corpore servato restituisse duos.
23 Iam celeber, iam lætus eris, cum debita reddet
  Certatim sanctis lætus uterque focis.
Tunc te felicem dicet pia turba deorum,
  Optabunt artes et sibi quisque tuas.

IV.

Qui mihi te, Cerinthe, dies dedit, hic mihi sanctus IV. 5.
  Atque inter festos semper habendus erit.
Te nascente novum Parcæ cecinere puellis
  Servitium et dederunt regna superba tibi.
Uror ego ante alias: iuvat hoc, Cerinthe, quod uror,
  Si tibi de nobis mutuus ignis adest.
Mutuus adsit amor, per te dulcissima furta
  Perque tuos oculos per Geniumque rogo.
Magne Geni, cape tura libens votisque faveto,
  Si modo, cum de me cogitat, ille calet.
Quod si forte alios iam nunc suspiret amores,
  Tunc precor infidos, sancte, relinque focos.
Nec tu sis iniusta, Venus: vel serviat æque
  Vinctus uterque tibi, vel mea vincla leva.
Sed potius valida teneamur uterque catena,
  Nulla queat posthac nos soluisse dies.
Optat idem iuvenis, quod nos, sed tectius optat:
  Nam pudet hæc illum dicere verba palam.
At tu, Natalis, quoniam deus omnia sentis,
  Adnue: quid refert, clamne palamne roget?

V.

Natalis Iuno, sanctos cape turis acervos, IV. 6.
  Quos tibi dat tenera docta puella manu.
Lota tibi est hodie, tibi se lætissima compsit,
  Staret ut ante tuos conspicienda focos.
Illa quidem ornandi causas tibi, diva, relegat:
  Est tamen, occulte cui placuisse velit.
At tu, sancta, fave, ne quis divellat amantes,

Sed iuveni quæso mutua vincla para.
Sic bene compones: ullæ non ille puellæ
Servire aut cuiquam dignior illa viro.
Nec possit cupidos vigilans deprendere custos,
Fallendique vias mille ministret Amor.
Adnue purpureaque veni perlucida palla:
Ter tibi fit libo, ter, dea casta, mero,
Præcipit et natæ mater studiosa, quod optet:
Illa aliud tacita, iam sua, mente rogat.
Uritur, ut celeres urunt altaria flammæ,
Nec, liceat quamvis, sana fuisse velit.
Sis, Iuno, grata, ut, veniet cum proximus annus,
Hic idem votis iam vetus adsit amor.

IN NATALEM CORNUTI.

(II. 2.)

Dicamus bona verba: venit Natalis ad aras:
  Quisquis ades, lingua, vir mulierque, fave.
Urantur pia tura focis, urantur odores,
  Quos tener e terra divite mittit Arabs.
Ipse suos adsit Genius visurus honores,
  Cui decorent sanctas mollia serta comas.
Illius puro destillent tempora nardo,
  Atque satur libo sit madeatque mero.
Adnuat et, Cornute, tibi, quodcumque rogabis.
  En age, quid cessas? Adnuit ille: roga.
Auguror, uxoris fidos optabis amores:
  Iam reor hoc ipsos edidicisse deos.
Nec tibi malueris, totum quæcumque per orbem
  Fortis arat valido rusticus arva bove,
Nec tibi, gemmarum quidquid felicibus Indis
  Nascitur, eoi qua maris unda rubet.
Vota cadunt: utinam strepitantibus advolet alis
  Flavaque coniugio vincula portet Amor,
Vincula, quæ maneant semper, dum tarda senectus
  Inducat rugas inficiatque comas.
Hac veniat Natalis avi prolemque ministret,
  Ludat et ante tuos turba novella pedes.

NEMESIS.

I.

Hic mihi servitium video dominamque paratam: II. 4.
  Iam mihi, libertas illa paterna, vale.
Servitium sed triste datur, teneorque catenis,
  Et numquam misero vincla remittit amor,
Et seu quid merui seu nil peccavimus, urit.
  Uror, io, remove, sæva puella, faces.
O ego ne possim tales sentire dolores,
  Quam mallem in gelidis montibus esse lapis,
Stare vel insanis cautes obnoxia ventis,
  Naufraga quam vitrei tunderet unda maris!
Nunc et amara dies et noctis amarior umbra est:
  Omnia nunc tristi tempora felle madent.
Nec prosunt elegi nec carminis auctor Apollo:
  Illa cava pretium flagitat usque manu.
Ite procul, Musæ, si non prodestis amanti:
  Non ego vos, ut sint bella canenda, colo,
Nec refero solisque vias et qualis, ubi orbem
  Complevit, versis luna recurrit equis.
Ad dominam faciles aditus per carmina quæro:
  Ite procul, Musæ, si nihil ista valent.
At mihi per cædem et facinus sunt dona paranda,
  Ne iaceam clausam flebilis ante domum:
Aut rapiam suspensa sacris insignia fanis:

Sed Venus ante alios est violanda mihi.
Illa malum facinus suadet dominamque rapacem
Dat mihi: sacrilegas sentiat illa manus.
O pereat, quicumque legit viridesque smaragdos
Et niveam Tyrio murice tingit ovem.
Hic dat avaritiæ causas et Coa puellis
Vestis et e rubro lucida concha mari.
Hæc fecere malas: hinc clavim ianua sensit
Et cœpit custos liminis esse canis.
Sed pretium si grande feras, custodia victa est,
Nec prohibent claves et canis ipse tacet.
Heu quicumque dedit formam cælestis avaræ.
Quale bonum multis attulit ille malis!
Hinc fletus rixæque sonant, hæc denique causa
Fecit, ut infamis nunc deus esset Amor.
At tibi, quæ pretio victos excludis amantes,
Eripiant partas ventus et ignis opes:
Quin tua tunc iuvenes spectent incendia læti,
Nec quisquam flammæ sedulus addat aquam.
Seu veniet tibi mors, nec erit, qui lugeat, ullus,
Nec qui det mæstas munus in exsequias.
At bona quæ nec avara fuit, centum licet annos
Vixerit, ardentem flebitur ante rogum:
Atque aliquis senior veteres veneratus amores
Annua constructo serta dabit tumulo
Et: «Bene» — discedens dicet — «placideque quiescas.
Terraque securæ sit super ossa levis.»
Vera quidem moneo, sed prosunt quid mihi vera?
Illius est nobis lege colendus amor.
Quin etiam sedes iubeat si vendere avitas,
Ite sub imperium sub titulumque, Lares.
Quidquid habet Circe, quidquid Medea veneni,

Quidquid et herbarum Thessala terra gerit,
Et quod, ubi indomitis gregibus Venus adflat amores,
Hippomanes cupidæ stillat ab inguine equæ,
Si modo me placido videat Nemesis mea vultu,
Mille alias herbas misceat illa, bibam.

II.

Castra Macer sequitur: tenero quid fiet Amori? II. 6.
Sit comes et collo fortiter arma gerat?
Et seu longa virum terræ via seu vaga ducent
Aequora, cum telis ad latus ire volet?
Ure, puer, quæso, tua qui ferus otia liquit,
Atque iterum erronem sub tua signa voca.
Quod si militibus parces, erit hic quoque miles,
Ipse levem galea qui sibi portet aquam.
Castra peto, valeatque Venus valeantque puellæ:
Et mihi sunt vires, et mihi facta tuba est.
Magna loquor, sed magnifice mihi magna locuto
Excutiunt clausæ fortia verba fores.
Iuravi quotiens rediturum ad limina numquam!
Cum bene iuravi, pes tamen ipse redit.
Acer Amor, fractas utinam tua tela sagittas,
Si licet, exstinctas aspiciamque faces!
Tu miserum torques, tu me mihi dira precari
Cogis et insana mente nefanda loqui.
Iam mala finissem leto, sed credula vitam
Spes fovet et fore cras semper ait melius.
Spes alit agricolas, Spes sulcis credit aratis
Semina, quæ magno fenore reddat ager:
Hæc laqueo volucres, hæc captat arundine pisces,
Cum tenues hamos abdidit ante cibus:

Spes etiam valida solatur compede vinctum:
  Crura sonant ferro, sed canit inter opus:
Spes facilem Nemesim spondet mihi, sed negat illa.
  Ei mihi, ne vincas, dura puella, deam.
Parce, per immatura tuæ precor ossa sororis:
  Sic bene sub tenera parva quiescat humo.
Illa mihi sancta est, illius dona sepulcro
  Et madefacta meis serta feram lacrimis,
Illius ad tumulum fugiam supplexque sedebo
  Et mea cum muto fata querar cinere.
Non feret usque suum te propter flere clientem:
  Illius ut verbis, sis mihi lenta, veto,
Ne tibi neglecti mittant mala somnia manes,
  Mæstaque sopitæ stet soror ante torum,
Qualis ab excelsa præceps delapsa fenestra
  Venit ad infernos sanguinolenta lacus.
Desino, ne dominæ luctus renoventur acerbi:
  Non ego sum tanti, ploret ut illa semel.
Nec lacrimis oculos digna est fœdare loquaces:
  Lena nocet nobis, ipsa puella bona est.
Lena necat miserum Phryne furtimque tabellas
  Occulto portans itque reditque sinu:
Sæpe ego, cum dominæ dulces a limine duro
  Agnosco voces, hæc negat esse domi:
Sæpe, ubi nox promissa mihi est, languere puellam
  Nuntiat aut aliquas extimuisse minas.
Tunc morior curis, tunc mens mihi perdita fingit,
  Quisve meam teneat, quot teneatve modis:
Tunc tibi, lena, precor diras: satis anxia vives,
  Moverit e votis pars quotacumque deos.

III.

Rura meam, Cornute, tenent villæque puellam: II. 3.
Ferreus est, heu heu, quisquis in urbe manet.
Ipsa Venus latos iam nunc migravit in agros,
Verbaque aratoris rustica discit Amor.
O ego, cum aspicerem dominam, quam fortiter illic
Versarem valido pingue bidente solum
Agricolæque modo curvum sectarer aratrum,
Dum subigunt steriles arva serenda boves!
Nec quererer, quod sol graciles exureret artus,
Læderet et teneras pussula rupta manus.
Pavit et Admeti tauros formosus Apollo,
Nec citharæ intonsæ profueruntve comæ,
Nec potuit curas sanare salubribus herbis:
14 Quidquid erat medicæ vicerat artis amor.
14a Ipse deus solitus stabulis expellere vaccas

. . . .

14b Et miscere novo docuisse coagula lacte,
14c Lacteus et mulctris obriguisse liquor.
Tunc fiscella levi detexta est vimine iunci,
Raraque per nexus est via facta sero.
O quotiens illo vitulum gestante per agros
Dicitur occurrens erubuisse soror!
O quotiens ausæ, caneret dum valle sub alta,
Rumpere mugitu carmina docta boves!
Sæpe duces trepidis petiere oracula rebus,
Venit et a templis irrita turba domum:
Sæpe horrere sacros doluit Latona capillos,
Quos admirata est ipsa noverca prius.
Quisquis inornatumque caput crinesque solutos
Aspiceret, Phœbi quæreret ille comam.

Delos ubi nunc, Phœbe, tua est, ubi Delphica Pytho?
Nempe amor in parva te iubet esse casa.
Felices olim, Veneri cum fertur aperte
Servire æternos non puduisse deos.
Fabula nunc ille est, sed cui sua cura puella est,
Fabula sit mavult, quam sine amore deus.
At tu, quisquis is es, cui tristi fronte Cupido
Imperat, in nostra sint tua castra domo.
. . . .
. . . .
Ferrea non Venerem, sed prædam sæcula laudant:
Præda tamen multis est operata malis.
Præda feras acies cinxit discordibus armis:
Hinc cruor, hinc cædes mors propiorque venit.
Præda vago iussit geminare pericula ponto,
Bellica cum dubiis rostra dedit ratibus.
Prædator cupit immensos obsidere campos,
Ut multa innumera iugera pascat ove:
Cui lapis externus curæ est, urbisque tumultus
Portatur validis mille columna iugis,
Claudit et indomitum moles mare, lentus ut intra
Neglegat hibernas piscis adesse minas.
At mihi læta trahant Samiæ convivia testæ
Fictaque Cumana lubrica terra rota.
Heu heu divitibus video gaudere puellas:
Iam veniant prædæ, si Venus optat opes,
Ut mea luxuria Nemesis fluat utque per urbem
Incedat donis conspicienda meis.
Illa gerat vestes tenues, quas femina Coa
Texuit, auratas disposuitque vias:
Illi sint comites fusci, quos India torret,
Solis et admotis inficit ignis equis:

Illi selectos certent præbere colores
   Africa puniceum purpureumque Tyros.
. . . .
   . . . .
Nota loquor: regnum iste tenet, quem sæpe coegit
   Barbara gypsatos ferre catasta pedes.
At tibi, dura seges, Nemesim quæ abducis ab urbe,
   Persolvat nulla semina terra fide.
Et tu, Bacche tener, iucundæ consitor uvæ,
   Tu quoque devotos, Bacche, relinque lacus.
Haud impune licet formosas tristibus agris
   Abdere: non tanti sunt tua musta, pater.
O valeant fruges, ne sint modo rure puellæ:
   Glans alat et prisco more bibantur aquæ.
Glans aluit veteres, et passim semper amarunt:
   Quid nocuit sulcos non habuisse satos?
Tunc, quibus aspirabat Amor, præbebat aperte
   Mitis in umbrosa gaudia valle Venus.
Nullus erat custos, nulla exclusura dolentes
   Ianua: si fas est, mos precor ille redi.
. . . .
   Horrida villosa corpora veste tegant.
Nunc si clausa mea est, si copia rara videndi,
   Heu miserum, laxam quid iuvat esse togam?
Ducite: ad imperium dominæ sulcabimus agros:
   Non ego me vinclis verberibusque nego.

IN HONOREM MESSALINI QUINDECIMVIRI.

(II. 5.)

Phœbe, fave: novus ingreditur tua templa sacerdos:
  Huc age cum cithara carminibusque veni.
Nunc te vocales impellere pollice chordas,
  Nunc precor ad laudes flectere verba meas.
Ipse triumphali devinctus tempora lauro,
  Dum cumulant aras, ad tua sacra veni.
Sed nitidus pulcherque veni: nunc indue vestem
  Sepositam, longas nunc bene pecte comas,
Qualem te memorant Saturno rege fugato
  Victori laudes concinuisse Iovi.
Tu procul eventura vides, tibi deditus augur
  Scit bene, quid fati provida cantet avis.
Tuque regis sortes, per te præsentit aruspex,
  Lubrica signavit cum deus exta notis:
Te duce Romanos numquam frustrata Sibylla,
  Abdita quæ senis fata canit pedibus.
Phœbe, sacras Messalinum sine tangere chartas
  Vatis, et ipse, precor, quid canat illa, doce.
Hæc dedit Aeneæ sortes, postquam ille parentem
  Dicitur et raptos sustinuisse Lares:

Nec fore credebat Romam, cum mæstus ab alto
Ilion ardentes respiceretque deos.
Romulus æternæ nondum formaverat urbis
Mœnia, consorti non habitanda Remo,
Sed tunc pascebant herbosa Palatia vaccæ
Et stabant humiles in Iovis arce casæ.
Lacte madens illic suberat Pan ilicis umbræ
Et facta agresti lignea falce Pales,
Pendebatque vagi pastoris ab arbore votum,
Garrula silvestri fistula sacra deo,
Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo:
Nam calamus cera iungitur usque minor.
At qua Velabri regio patet, ire solebat
Exiguus pulsa per vada linter aqua.
Illa sæpe gregis diti placitura magistro
Ad iuvenem festa est vecta puella die,
Cum qua fecundi redierunt munera ruris,
Caseus et niveæ candidus agnus ovis. —
«Impiger Aenea, volitantis frater Amoris,
Troica qui profugis sacra vehis ratibus,
Iam tibi Laurentes adsignat Iuppiter agros,
Iam vocat errantes hospita terra Lares.
Illic sanctus eris, cum te veneranda Numici
Unda deum cælo miserit Indigetem.
Ecce super fessas volitat Victoria puppes,
Tandem ad Troianos diva superba venit.
Ecce mihi lucent Rutulis incendia castris;
Iam tibi prædico, barbare Turne, necem.
Ante oculos Laurens castrum murusque Lavini est
Albaque ab Ascanio condita Longa duce.
Te quoque iam video, Marti placitura sacerdos
Ilia, Vestales deseruisse focos,

Concubitusque tuos furtim vittasque iacentes
Et cupidi ad ripas arma relicta dei.
Carpite nunc, tauri, de septem montibus herbas,
Dum licet: hic magnæ iam locus urbis erit.
Roma, tuum nomen terris fatale regendis,
Qua sua de cælo prospicit arva Ceres,
Quaque patent ortus et qua fluitantibus undis
Solis anhelantes abluit amnis equos.
Troia quidem tunc se mirabitur et sibi dicet
Vos bene tam longa consuluisse via.
Vera cano: sic usque sacras innoxia laurus
Vescar, et æternum sit mihi virginitas.»
Hæc cecinit vates et te sibi, Phœbe, vocavit,
Iactavit fusas et caput ante comas.
Quidquid Amalthea, quidquid Marpesia dixit,
Herophile Phœbo grata quod admonuit,
Quasque Aniena sacras Tiburs per flumina sortes
Portarit sicco pertuleritque sinu,
(Hæ fore dixerunt belli mala signa cometen,
Multus ut in terras deplueretque lapis;
Atque tubas atque arma ferunt strepitantia cælo
Audita et lucos præcinuisse fugam;
Ipsum etiam Solem defectum lumine vidit
Iungere pallentes nubilus annus equos
Et simulacra deum lacrimas fudisse tepentes
Fataque vocales præmonuisse boves),
Hæc fuerant olim: sed tu iam mitis, Apollo,
Prodigia indomitis merge sub æquoribus.
Ut succensa sacris crepitat bene laurea flammis,
Omine quo felix et sacer annus erit!
Laurus ubi bona signa dedit, gaudete coloni:
Distendet spicis horrea plena Ceres,

Oblitus et musto feriet pede rusticus uvas,
Dolia dum magni deficiantque lacus:
Ac madidus Baccho sua festa Palilia pastor
Concinet: a stabulis tunc procul este, lupi.
Ille levis stipulæ sollemnis potus acervos
Accendet, flammas transilietque sacras.
Et fetus matrona dabit, natusque parenti
Oscula comprensis auribus eripiet,
Nec tædebit avum parvo advigilare nepoti
Balbaque cum puero dicere verba senem.
Tunc operata deo pubes discumbet in herba,
Arboris antiquæ qua levis umbra cadit,
Aut e veste sua tendent umbracula sertis
Vincta, coronatus stabit et ipse calix,
At sibi quisque dapes et festas exstruet alte
Cæspitibus mensas cæspitibusque torum.
Ingeret hic potus iuvenis maledicta puellæ,
Postmodo quæ votis irrita facta velit:
Nam ferus ille suæ plorabit sobrius idem
Et se iurabit mente fuisse mala.
Pace tua pereant arcus pereantque sagittæ,
Phœbe, modo in terris erret inermis Amor.
Ars bona: sed postquam sumpsit sibi tela Cupido,
Heu heu quam multis ars dedit ista malum!
Et mihi præcipue. Iaceo cum saucius annum
Et faveo morbo, cum iuvat ipse dolor,
Usque cano Nemesim, sine qua versus mihi nullus
Verba potest iustos aut reperire pedes.
At tu, nam divum servat tutela poetas,
Præmoneo, vati parce, puella, sacro,
Ut Messalinum celebrem, cum præmia belli
Ante suos currus oppida victa feret,

Ipse gerens lauros: lauro devinctus agresti
Miles: «Io» magna voce «triumphe» canet.
Tunc Messalla meus pia det spectacula turbæ
Et plaudat curru prætereunte pater.
Adnue: sic tibi sint intonsi, Phœbe, capilli,
Sic tua perpetuo sit tibi casta soror.

DE AMICA INNOMINATA.

I.

Nulla tuum nobis subducet femina lectum: IV. 13.
Hoc primum iuncta est fœdere nostra Venus.
Tu mihi sola places, nec iam te præter in urbe
Formosa est oculis ulla puella meis.
Atque utinam posses uni mihi bella videri!
Displiceas aliis; sic ego tutus ero.
Nil opus invidia est, procul absit gloria vulgi:
Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.
Sic ego secretis possum bene vivere silvis,
Qua nulla humano sit via trita pede.
Tu mihi curarum requies, tu nocte vel atra
Lumen, et in solis tu mihi turba locis.
Nunc licet e cælo mittatur amica Tibullo,
Mittetur frustra deficietque Venus.
Hoc tibi sancta tuæ Iunonis numina iuro,
Quæ sola ante alios est mihi magna deos.
Quid facio demens? Heu heu mea pignora cedo.
Iuravi stulte: proderat iste timor.
Nunc tu fortis eris, nunc tu me audacius ures:
Hoc peperit misero garrula lingua malum.
Iam faciam, quodcumque voles, tuus usque manebo,
Nec fugiam notæ servitium dominæ,

- Sed Veneris sanctæ considam vinctus ad aras:
  Hæc notat iniustos supplicibusque favet.

II.

Rumor ait crebro nostram peccare puellam: IV. 14.
  Nunc ego me surdis auribus esse velim.
Crimina non hæc sunt nostro sine facta dolore:
  Quid miserum torques, rumor acerbe? Tace.

ADNOTATIONES EXEGETICAE.

MARATHUS.

I.

Lib. I. eleg. 4.

Introductio. Poeta consulit Priapum, quibus artibus puerorum animos sibi conciliaverit (1—8). Sequuntur præcepta dei (9—72). Melius sit omnino fugere pueros pulchros, sed, si tamen in amorem eorum incideris, ante omnia opus est constantia (9—20). Nec iurare time, nam dii amantibus facile condonant periurium (21—26). Quodsi tardus eris, errabis: cito transibit ætas sine fructu amoris (27—38). Utendum obsequio potissimum et blanditiis (39—56). Nunc pravo more sæculi avaritia dominatur et pueri formosi munera volunt (57—60). Hortatur igitur eos deus, ut abiecta cupiditate lucri poetas ament, qui pulchritudinem eorum immortalitate donant (61—66). Qui amorem tamen vendere volunt, eos exsecratur (67—72). Poeta præceptis Priapi auditis iam magistrum amoris celebrem se fore sperat, sed mox sentit ne sibi quidem se opem ferre posse, cum lento amore Marathi, pueri difficilis, torqueatur, neque ullis artibus eum capere queat (73—84).

Priapus erat deus fertilitatis, cuius signum ligneum minio pictum, nudum et pene erecto, in hortis ponere solebant antiqui. Naturæ dei convenienter poetæ lasciva ei sacrabant carmina, quorum exempla nobis exstant in sylloge Priapeorum, maxima ex parte tempore Augusti scripta. Tibullus certe

ante oculos habuit poetas Alexandrinos, quorum Euphronius* hoc genus carminis maxime excoluisse videtur, et Horatii Sat. I. 8., ubi Priapus in horto Mæcenatis positus inducitur de magicis veneficarum artibus loquens.**

V. 1—6. *Sic umbrosa ... sollertia,* sententia ita est supplenda: «Sic tibi umbrosa tecta contingant, ut mihi dices, qua sollertia formosos ceperis?» Simile est infra II. 5, 121: «Adnue, sic tibi sint intonsi, Phœbe, capilli». — *umbrosa tecta,* Priapi signum in hortis sæpe stabat sub arbore; cf. Carm. Priap. 82, 6—8: «Priape, qui sub arboris coma Soles, sacrum revincte pampino caput, Ruber sedere cum rubente fascino». — *Ne capiti soles ne noceantque nives,* ne capiti soles nivesque noceant; insolita coniunctionis *que* collocatio, ut infra I. 3, 55: «Messallam terra dum sequiturque mari», I. 1, 51: «O quantum est auri pereat potiusque smaragdi» et I. 7, 49—50: «centum ludis Geniumque choreis Concelebra». — *soles,* radii solis, ut Hor. Epod. 2, 41—42: «perusta solibus Pernicis uxor Apuli». — *Quæ tua formosos cepit sollertia?* Priapum παιδεραστὴν exhibent Carm. Priapea, ut e. g. 5: «Quam puero legem fertur dixisse Priapus, Versibus hic infra scripta duobus erit: Quod meus hortus habet, sumas impune licebit, Si dederis nobis, quod tuus hortus habet». — *formosos,* pueros pulchros, ut infra I. 9, 6. et Græce οἱ καλοί; cf. infra II. 3, 65: «formosas» sc. puellas. — *Nudus et hibernæ producis frigora brumæ, Nudus et æstivi tempora sicca Canis,* unde querela Priapi Carm. Priap. 63, 1—6: «Parum est, quod hic cum fixerint mihi sedem, Agente terra per

* Cf. Strab. VIII. p. 382. et *Susemihl:* Gesch. der griech. Lit. in der Alexandrinerzeit I. p. 281.

** Cf. infra Excurs. I.

Caniculam rimas. Siticulosam sustinemus æstatem? Parum, quod imos perfluunt sinus imbres, Et in capillos grandines cadunt nostros Rigetque duro barba vincta crystallo»? — *producis*, ad normam locutionis *ducere tempus* sæpe iungitur cum nominibus, quibus inest temporis notio, ut Prop. I. 3, 39: «O utinam tales producas, improbe, noctes.» Conferri possunt apud Tibullum ipsum I. 9, 61: «convivia ducere Baccho» et II. 3. 47: «At mihi læta trahant Samiæ convivia testæ». — *æstivi Canis*. Canicula sive Sirius, de quo Plin. N. H. II. 128: «Ardentissimo autem æstatis tempore exoritur Caniculæ sidus sole primam partem leonis ingrediente, qui dies XV. ante Aug. Kalendas est.» Græce κύων ὀπωρινός, ut in epigrammatibus incert. auct. Anth. Pal. X. 12, 7. et Anth. Plan. 227, 7. Tibullum imitatur Lygd. 5, 2: «Unda sub æstivum non adeunda Canem». — *tempora sicca Canis*, cf. Prop. II. 28, 4: «Incipit et sicco fervere terra Cane.»

V. 7—8. *Bacchi . . . proles*, cf. Diod. Sic. IV. 6, 1: μυθολογοῦσιν οὖν οἱ παλαιοὶ τὸν Πρίαπον υἱὸν μὲν εἶναι Διονύσου καὶ Ἀφροδίτης. — *rustica proles*, est enim deus ruris, ut Carm. Priap. 14, 7: «ruris numina» et 80, 9: «rustice custos». — *Armatus curva . . . falce*, ut elucet etiam ex I. 1, 17—18: «Pomosisque ruber custos ponatur in hortis, Terreat ut sæva falce Priapus aves.»

V. 9—14. *fuge . . . credere*, cave credas, ut Hor. Carm. I. 9, 13: «Quid sit futurum cras, fuge quærere». — *te . . . credere turbæ*, securum adire turbam periculosam. — *causam iusti . . . amoris habent*, inest iis iusta causa, cur amentur. — *Hic placet, angustis quod equum compescit habenis, Hic placidam niveo pectore pellit aquam*, cogitandum de campo Martio, ubi iuvenes Romani corpora exercebant, et de Tiberi, ubi natando certabant; cf. Hor.

Carm. III. 7, 26—29: «Quamvis non alius flectere equum sciens Aeque conspicitur gramine Martio, Nec quisquam citus æque Tusco denatat alveo»; ibid. I. 8, 5—8. et III. 12, 5—6. — *angustis... habenis*, adductis. — *placidam niveo pectore pellit aquam*, Tibullum imitatur Ov. A. A. III. 386: «Nec Tuscus placida devehit amnis aqua» et Her. 19, 208. de Leandro: «Tam placidas toto pectore finde vias». — *pellit aquam*, de natante, ut Lygd. 5, 30: «Et facilis lenta pellitur unda manu». — *cepit*, de eo, qui amorem accendit, ut Prop. I. 1, 1: «Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis.» — *stat pudor ante genas*, eminet in ore, conspicuus est.

V. 15—20. *negabit*, proprie dicitur in sermone amatorio poetarum elegiacorum de eo, qui amatorem suum non exaudit, ut infra II. 6, 27: «negat illa»; cf. Prop. II. 32, 60: «Non potuit magno casta negare Iovi» et III. 21, 7: «Vix tamen aut semel admittit, cum sæpe negarit» et IV. 5, 5: «Docta vel Hippolytum Veneri mollire negantem». — *Longa dies homini docuit parere leones*, ut Ov. Trist. IV. 6, 5—6: «Tempore Pœnorum compescitur ira leonum Nec feritas animo, quæ fuit ante, manet». — *Longa dies*, longum tempus, passim apud poetas Romanos, ut Verg. Aen. VI. 745., Ov. Met. I. 346. etc. — *Longa dies molli saxa peredit aqua*, in proverbium abiit; Tibullum imitatur Ov. A. A. I. 475—476: «Quid magis est saxo durum, quid mollius unda? Dura tamen molli saxa cavantur aqua»; similia sunt apud eundem Ex Pont. II. 7, 48: «Percussu crebro saxa cavantur aquis» et IV. 10, 5: «Gutta cavat lapidem». Cf. etiam Prop. II. 25, 15—16: «teritur rubigine mucro Ferreus et parvo sæpe liquore silex». — *Annus in apricis maturat collibus uvas*, poeta videtur ante oculos habuisse Verg. Ecl. 9, 49: «Duceret apricis in collibus uva colorem»; cf. Ov.

Trist. IV. 6, 9: «Tempus ut extensis tumeat facit uva racemis». — *Annus agit certa lucida signa vice*, annus certo ordine sidera adducit; cf. Catull. 64, 4: «Ut cedant certis sidera temporibus».

V. 21—26. *Nec iurare time* etc., locus communis de periuriis amantium. — *Veneris periuria venti Irrita per terras et freta summa ferunt*, Tibullum imitatur Lygd. 6, 49—50: «periuria ridet amantum Iuppiter et ventos irrita ferre iubet», Lygdamum Ov. A. A. I. 633—634: «Iuppiter ex alto periuria ridet amantum Et iubet Aeolios irrita ferre notos». Cf. etiam Ov. Am. II, 16, 45—46: «Verba puellarum, foliis leviora caducis, Irrita, qua visum est, ventus et unda ferunt». Dicuntur ceterum omnia, quæ ad irritum cadunt, ventis auferri, ut infra I. 5, 35—36: «quæ nunc eurusque notusque Iactat odoratos vota per Armenios»; Catull. 30, 9—10: «tua dicta omnia factaque Ventos irrita ferre ac nebulas aërias sinis» et 64, 142: «Quæ cuncta aërii discerpunt irrita venti»; Verg. Aen. IX. 312—313: «Multa patri mandata dabat portanda, sed auræ Omnia discerpunt et nubibus irrita donant»; Lygd. 4, 95—96: «Hæc deus in melius crudelia somnia vertat Et iubeat tepidos irrita ferre notos»; Ov. Am. II. 8, 19—20: «Tu dea, tu iubeas animi periuria puri Carpathium tepidos per mare ferre notos». — *Gratia magna Iovi: vetuit pater ipse valere, Iurasset cupide quidquid ineptus amor*, similis sententia occurrit iam apud Hesiodum teste Apollod. Bib. II. 5: διό φησιν Ἡσίοδος οὐκ ἐπισπᾶσθαι τὴν ἀπὸ τῶν θεῶν ὀργὴν τοὺς γιγνομένους ὅρκους ὑπὲρ ἔρωτος; cf. Plat. Phileb. p. 65. c.: καὶ ἐν ταῖς ἡδοναῖς ταῖς περὶ τ' ἀφροδίσια . . . καὶ τὸ ἐπιορκεῖν συγγνώμην εἴληφε παρὰ θεῶν; Callim. Anth. Pal. V. 5: Ὤμοσεν· ἀλλὰ λέγουσιν ἀληθέα τοὺς ἐν ἔρωτι Ὅρκους μὴ δύνειν οὔατ' ἐς ἀθανάτων. Causam huius rei iocose tangit Ov. A. A. I. 635—636: «Per Styga Iunoni

falsum iurare solebrat Iuppiter: exemplo nunc favet ille suo»; idem affirmat de Venere Ov. Am. I. 8, 85—86: «Nec, si quem falles, tu periurare timeto: Commodat in lusus numina surda Venus»; contra Prop. II. 16, 47—48: «Nec semper placidus periuros ridet amantes Iuppiter et surda neglegit aure preces». — *cupide*, cupiditate abreptus. — *ineptus amor*, qui stulte iurat, quæ postmodo irrita facta velit. — *Perque suas impune sinit Dictynna sagittas*, solebant antiqui per arma deorum iurare; cf. Iuv. Sat. 13, 78—83: «Per Solis radios Tarpeiaque fulmina iurat Et Martis frameam, Cirrhæi spicula vatis, Per calamos venatricis pharetramque puellæ Perque tuum, pater Aegæi Neptune, tridentem, Addit et Herculeos arcus hastamque Minervæ, Quidquid habent telorum armamentaria cæli». — *Dictynna*, cognomen Dianæ, ut Ov. Met. II. 441. — *crines perque Minerva suos*, crinibus maxime superbiebat Minerva; cf. Serv. ad Verg. Aen. VI. 289: «Medusa erecta favore Neptuni ausa est crines suos Minervæ capillis præferre: qua re indignata dea crines eius in serpentes vertit».

V. 27—32. *transiet ætas quam cito*, hoc loco *ætas* ætatem iuvenilem significat, ut passim apud scriptores Romanos, e. g. Hor. Ep. I. 20, 10: «Carus eris Romæ, donec te deserat ætas». — *non segnis stat remeatque dies*, non stat segnis neque, si præteriit, redit dies; cf. Hor. Carm. III. 28, 6: «veluti stet volucris dies» et Ov. A. A. III. 64: «Nec, quæ præteriit, hora redire potest». *Non-que* pro *non-neque*, ut *ne-et* pro *ne-neve* infra I. 6, 19—20: «digitoque liquorem *Ne* trahat *et* mensæ ducat in orbe notas». — *Quam cito purpureos deperdit terra colores, Quam cito formosas populus alba comas*, poeta ante oculos habuisse videtur Verg. Ecl. 9, 40—42: «Hic ver purpureum, varios hic flumina circum Fundit humus flores, hic candida populus antro

Imminet», quem locum etiam Lygdamus imitatus est 5, 4: «Cum se purpureo vere remittit humus». *Purpureus* autem hoc loco non rubrum colorem, sed splendorem colorum splendori purpuræ similem significat, ut Hor. Carm. IV. 1, 10: «purpureis ales oloribus», Verg. Aen. I. 590: «lumenque iuventæ Purpureum», Prop. III. 5, 32: «Purpureus pluvias cur bibit arcus aquas». — *purpureos . . . colores*, flores purpuræ splendorem referentes, ut Verg. Aen. V. 79: «Purpureosque iacit flores» et VI. 884: «Purpureos spargam flores»; Ov. Met. V. 390: «Frigora dant rami, Tyrios humus umida flores». — *colores*, flores coloratos, ut Catull. 64, 90: «Aurave distinctos educit verna colores»; Prop. I. 2, 9: «Aspice, quo summittat humus formosa colores»; Pseudo-Verg. Cul. 70—71: «Florida cum tellus gemmantes picta per herbas Vere notat dulci distincta coloribus arva». — *populus alba,* quia inferior pars foliorum pæne albo colore est, unde etiam Hor. Carm. II. 3, 9. et Ov. Her. 9, 64. populum *albam* nominant; Verg. Ecl. 9, 41: «candida populus» et Aen. VIII. 276: «bicolor populus». — *Quam iacet, infirmæ venere ubi fata senectæ, Qui prior Eleo est carcere missus equus*, videtur ante oculos habuisse Ennii versus apud Cic. De senect. c. 5. servatos: «Sicut fortis equus, spatio qui sæpe supremo Vicit Olympia, nunc senio confectus quiescit». — *iacet*, languet, infirmus est; cf. II. 5, 109—110: «iaceo cum saucius annum Et faveo morbo». — *prior,* adiectivum pro adverbio: prius, antea; cf. Ov. A. A. II. 218. de Hercule: «Ille fatigatæ perimendo monstra novercæ Qui meruit cælum, quod prior ipse tulit». — *Eleo est carcere missus equus,* qui in certamine Olympico cucurrit; Tibullum imitatur Ov. Her. 17, 166: «Ut celer Eleo carcere missus equus». — *Eleo . . . carcere,* Olympico, erat enim Olympia in Elide terra. — *missus*, proprie dici-

tur de equis carcere circi emissis, ut Hor. Sat. I. 114; Ov. Am. III. 2, 9. et 66, Trist. V. 12, 26, Her. 17, 166.

V. 33—38. *iuvenem, premeret cum serior ætas,* cogitandum de viro in fine iuventutis constituto. — *Mœrentem stultos præteriisse dies,* stulto modo, quia sine Venere; cf. Pers. Sat. V. 60—61: «Tunc crassos transisse dies lucemque palustrem Et sibi iam seri vitam ingemuere relictam». — *serpens novus exuit annos: Formæ non ullam fata dedere moram,* Tibullum imitatur Ov. A. A. III. 77—79: «Anguibus exuitur tenui cum pelle vetustas, Nec faciunt cervos cornua iacta senes: Nostra sine auxilio fugiunt bona». — *serpens . . . exuit annos,* cum pellem deponit. — *novus,* deposita pelle quasi renovatus, ut Verg. Ge. III. 437. et Aen. II. 743. de serpente: «positis novus exuviis nitidusque inventa». — *Solis æterna est Baccho Phœboque iuventas,* ut fabulæ signaque veterum docent; cf. Ov. Met. IV. 17—18. de Baccho: «tibi enim inconsumpta iuventa est, Tu puer æternus». — *Nam decet intonsus crinis utrumque deum,* ut iuvenes Græcos, qui crines intonsos habebant usque ad virilem ætatem; cf. infra II. 5, 121: «Sic tibi sint intonsi, Phœbe, capilli», IV. 4, 2: «intonsa Phœbe superbe coma» et II. 3, 12: «Nec citharæ intonsæ profueruntve comæ».

V. 39—44. *obsequio plurima vincit amor,* idem præcepit amantibus Ov. A. A. II. 179. sqq.; cf. Prop. I. 86, 39—40: «Hanc ego non auro, non Indis flectere conchis, Sed potui blandi carminis obsequio». — *Canis arenti torreat arva siti,* de Cane cf. adn. supra ad vs. 6. Locum respicit Ov. A. A. II. 231: «Nec grave te tempus sitiensque Canicula tardet»; cf. etiam Verg. Ge. IV. 425—426: «Iam rabidus torrens sitientes Sirius Indos Ardebat cælo». — *prætexens picta ferrugine cælum,* cogitandum de arcu cælesti, qui in nube obscura apparet eamque variis coloribus pingit.

Ferrugo igitur, quæ passim apud scriptores Latinos obscurum colorem significat (ut e. g. Catull. 64, 227: «Carbasus obscurata decet ferrugine Hibera»), hoc loco ad nubem est referenda, *picta* autem ad varios colores arcus; cf. Senec. Nat. Quæst. I. 3, 3: «non fit enim unquam arcus nisi in nubilo» et ibid. 3, 4: «Videmus in eo aliquid flammei, aliquid lutei, aliquid cærulei et alia in picturæ modum subtilibus lineis ducta»; Ov. Met. XIV. 838—839: «in terram pictos delapsa per arcus . . . Iris» et VI. 63—64: «Qualis ab imbre solet percussis solibus arcus Inficere ingenti longum curvamine cælum»; Stat. Silv. V. 1, 103—104. de Iride: «Quæque cadit liquidas Iunonia virgo per auras Et picturato pluvium ligat æthera gyro». — *Portendat pluvias imbrifer arcus aquas,* antiqui credebant arcum cælestem aquam maris et fluviorum bibere itaque nubes alere, quare Verg. Ge. I. 380—381. inter signa imbris futuri commemorat: «et bibit ingens Arcus»; cf. Ov. Met. I. 271: «Concipit Iris aquas alimentaque nubibus adfert». — *Portendat pluvias . . . aquas,* ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. ad h. l. Versum respicere videntur Plin. N. H. II. 150: «Arcuus vocamus extra miraculum frequentes et extra ostentum, nam ne *pluvios* quidem aut serenos *dies* cum fide *portendunt*» et Prop. III. 5, 32: «Purpureus *pluvias* cur bibit *arcus aquas*». — *imbrifer arcus,* Tibullum imitari videtur Stat. Theb. IX. 404: «At pater arcano residens Ismenos in antro, Unde auræ nubesque bibunt atque imbrifer arcus»; idem significat Hor. A. P. 18: «pluvius arcus».

V. 45—50. *Vel si cæruleas* etc., cogitandum de navigatione voluptatis causa in levi cumba suscepta. — *duros subiisse labores,* intellege labores rusticos, quales se Tibullus pro amica libenter suscepturum dicit II. 3, 5—6: «O ego, cum aspicerem dominam, quam fortiter illic Versarem

valido pingue bidente solum». — *opera,* servili in agris. — *insuetas,* absolute positum, ut infra I. 7. 36: «Expressa insuetis uva . . . pedibus» ; cf. etiam I. 7, 38: «Movit et ad certos nescia membra modos». — *atteruisse manus,* forma insolita pro *attrivisse;* cf. Prop. IV. 3, 28: «Num gravis imbelles atterit hasta manus»? Similem rem tangit Tibullus ipse II. 3, 9—10: «Nec quererer, quod sol graciles exureret artus, Læderet et teneras pussula rupta manus». — *insidiis altas si claudere valles,* indagine, retibus, ut venatores antiqui solebant; cf. infra IV. 3, 7—8: «densos indagine colles Claudentem». — *altas . . . valles,* profundas, altis montibus cinctas; cf. infra II. 3, 19: «valle sub alta». — *Dum placeas,* dummodo. — *retia ferre,* servile officium, quod sæpe suscipiebant amantes, ut iis, quos amabant, gratum facerent; cf. infra IV. 3. 10—11. verba Sulpiciæ tributa: «Sed tamen, ut tecum liceat, Cerinthe, vagari, Ipse ego per montes retia torta feram». Mythicum huius officii exemplum est Milanion, qui retia tulit Atalantæ, venatricis Arcadicæ, de quo Ov. A. A. II. 189: «Sæpe tulit iusso fallacia retia collo» ; idem fecit Apollo, cum Hyacinthum amaret, teste Ov. Met. X. 171: «Immemor ipse sui non retia ferre recusat».

V. 51—56. *Si volet arma,* cogitandum de oblectamento iuvenum Romanorum, qui rudibus gladiatoriis i. e. gladiis ligneis exercitationis causa pugnabant, ut etiam tirones in castris. — *levi . . . dextra,* mobili, celeri. — *ludere,* proprie dicitur de ludo armorum, ut Ov. Tr. IV. 1, 72: «Nec nisi lusura movimus arma manu». — *dabis nudum . . . latus,* latus apertum præbebis ictibus adversarii. — *pugnabit, sed tamen apta dabit,* cf. Ov. A. A. I. 663—666: «Quis sapiens blandis non misceat oscula verbis? Illa licet non det, non data sume tamen; Pugnabit primo fortassis et: *improbe,*

dicet; Pugnando vinci se tamen illa volet». — *apta dabit* ita, ut labia osculantium apte cohæreant; cf. Ov. Her. 15, 129—130: «Oscula cognosco, quæ tu committere linguæ Aptaque cosueras accipere, apta dare».

V. 57—60. *artes miseras,* miserabiles; ars enim amandi miserabilis facta est propter sæculi avaritiam. — *At tu, qui Venerem docuisti vendere primus, Quisquis es, infelix urgeat ossa lapis,* cf. Stratonis epigramma Anth. Pal. XII. 212, 5—6. ad puerum amatum: Ἀλλ' ἤδη πρὸς κέρδος ἔχεις φρένας, ὡς ὁ διδάξας Τεθνάτω. — *Venerem,* amorem. — *infelix urgeat ossa lapis,* sit tibi lapis sepulcralis gravis; apta est hoc loco talis exsecratio, nam antiqui mortuis sibi caris optare solebant et cippis etiam inscribere: «Sit tibi terra levis». Cf. Prop. IV. 5, 73—74: «Sit tumulus lenæ curto vetus amphora collo, Urgeat hunc supra vis, caprifice, tuæ». — *infelix lapis,* cippus sepulcralis, quia Manibus erat sacratus, ut etiam arbores dis inferis sacratæ infelices appellabantur teste Macrob. Saturn. III. 20, 3: «Tarquitius autem Priscus in Ostentario Arborario sic ait: arbores, quæ inferorum deorum avertentiumque in tutela sunt, eos infelices nominant».

V. 61—66. *Pieridas,* Musas, quarum patria erat terra Pieria in Macedonia sub monte Olympo; cf. Phædr. III. prol. 17—19: «Ego, quem Pierio mater enixa est iugo, In quo tonanti sancta Mnemosyne Iovi Fecunda novies artium peperit chorum». — *doctos . . . poetas,* ut Græce σοφούς. Doctus dicitur Latine, quisquis artis suæ peritus est; ornabantur hoc epitheto præcipue poetæ, quare etiam Sulpicia poetria infra IV. 6, 2: «docta puella» appellatur. — *Aurea nec superent munera Pieridas,* locum sæpissime tractat Ovidius, e. g. A. A. III. 547—548: «Vatibus Ausoniis faciles estote, puellæ, Numen inest illis. Pieridesque favent» et

551: «A doctis pretium scelus est sperare poetis». — *purpurea est Nisi coma,* fabulam de Niso, rege Megarensium, narrat Apollod. III. 210: (Μίνως) Μέγαρα εἷλε Νίσου βασιλεύοντος τοῦ Πανδίονος . . . ἀπέθανε δὲ καὶ Νῖσος διὰ θυγατρὸς προδοσίαν. Ἔχοντι γὰρ αὐτῷ πορφυρέαν ἐν μέσῃ τῇ κεφαλῇ τρίχα ταύτης ἀφαιρεθείσης ἦν χρησμὸς τελευτῆσαι. Ἡ δὲ θυγάτηρ αὐτοῦ Σκύλλα ἐρασθεῖσα Μίνωος ἐξεῖλε τὴν τρίχα; eandem fabulam narrat Ciris, epyllion Pseudo-Vergilianum, et Ov. Met. VIII. 1—151. Cf. Cir. 120—125: «Nam capite a summo regis (mirabile dictu) Candida cæsaries (florebant tempora lauro), At roseus medio surgebat vertice crinis: Cuius quam servata diu natura fuisset, Tam patriam incolumem Nisi regnumque futurum Concordes stabili firmarunt numine Parcæ» et Prop. III. 19, 21—22: «Tuque o Minoa venundata, Scylla, figura, Tondens purpurea regna paterna coma». — *Ex umero Pelopis . . . ebur,* inter fabulas a poetis sæpissime tractatas commemorat Verg. Ge. III. 6—7: «Cui non dictus Hylas puer et Latonia Delus Hippodameque umeroque Pelops insignis eburno?» Fabulam de Pelope, quem pater Tantalus diis comedendum apposuit, breviter tangit Ov. Met. VI. 403—411: «hanc tunc quoque dicitur unus Flesse Pelops humeroque, suas a pectore postquam Diduxit vestes, ebur ostendisse sinistro. Concolor hic humerus nascendi tempore dextro Corporeusque fuit; manibus mox cæsa paternis Membra ferunt iunxisse deos, aliisque repertis, Qui locus est iuguli medius summique lacerti, Defuit: impositum est non comparentis in usum Partis ebur factoque Pelops fuit integer illo». — *referent Musæ,* dicent, memorabunt, cantabunt. — *vivet,* quia, ut Hor. Carm. IV. 8, 28. dicit: «Dignum laude virum Musa vetat mori».

V. 67—72. *Idææ currus illa sequatur Opis,* religioso furore abripiatur, ut Galli, sacerdotes Cybeles, deæ Phrygiæ,

cuius signum in curru per urbes vehebant. — *Idææ Opis,* Romani Opem, deam Italicam, uxorem Saturni, confundebant cum Rhea sive Cybele sive Magna Matre deorum. *Idæa,* quia Cybele in regione Idæ, montis Phrygii, maxime colebatur. — *tercentenas erroribus expleat urbes,* trecentas urbes percurrat currum Cybeles sequens; cf. Verg. Aen. XII. 763: «Quinque orbes explent cursu» et Eurip. Or. 54: λιμένα πλάτῃ ἐκπληροῦν. — *secet ad Phrygios vilia membra modos,* Galli in sacris deæ religioso furore correpti membra virilia sibi absciderunt; Tibullum imitatur Ov. Ib. 453—454: «Attonitusque seces, ut quos Cybeleia mater Incitat, ad Phrygios vilia membra modos» et Fast. III. 243—244: «mollesque ministri Cædunt iactatis vilia membra comis». Cf. etiam Martial. XI. 84, 3—4: «Alba minus sævis lacerantur bracchia cultris, Cum furit ad Phrygios enthea turba modos» et Prop. II. 22, 16: «Et Phrygis insanos cæditur ad numeros». — *ad Phrygios . . . modos,* ad modos harmoniæ Phrygiæ, qua utebantur in sacris Cybeles cultores deæ tibiis Phrygiis canentes; cf. infra II. 1, 86: «Phrygio tibia curva sono»; Catull. 63, 20—22: «Phrygiam ad domum Cybebes, Phrygia ad nemora deæ, Ubi cymbali sonat vox, ubi tympana reboant, Tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo»; Verg. Aen. IX. 617—619: «O vere Phrygiæ, neque enim Phryges, ite per alta Dindyma, ubi adsuetis biforem dat tibia cantum, Tympana vos buxusque vocat Berecyntia Matris Idææ». — *Blanditiis vult esse locum Venus ipsa: querelis,* Tibullum imitatur Lygd. 4, 75—76: «Ergo ne dubita blandas adhibere querelas: Vincuntur molli pectora dura prece». — *Blanditiis,* blandis præcipue carminibus, non pecuniæ; cf. Ov. Am. II. 1, 21: «Blanditias elegosque leves, mea tela, resumpsi; Mollierant duras lenia verba fores»; Prop. I. 8, 39—40: «Hanc ego non auro, non

Indis flectere gemmis, Sed potui blandi carminis obsequio«. — *miseris fletibus illa favet,* ut Prop. I. 12, 16: «Non nihil aspersis gaudat Amor lacrimis».

V. 73—78. *Titius,* quis fuerit, ignoramus; alius est Titius, poeta lyricus, a Horatio Ep. I. 3. commemoratus, qui anno 21. ante Chr. n., quo Tiberium in Orientem proficiscentem secutus est cohorti prætoriæ adscriptus, iuvenis fuit, itaque eo tempore, quo Tibullus hanc elegiam scripsit, puer; cf. Hor. Ep. I. 3, 9: «Quid Titius Romana brevi venturus in ora, Pindarici fontis qui non expalluit haustus», unde elucet eum carmina sua nondum edidisse, sed fuisse egregiæ spei adulescentem. Ceterum etiam Titium Tibulli poetam fuisse verisimile fit ex laude poeseos supra vss. 61—66. inserta. — *suæ,* i. e. suæ coniugi, ut infra I. 9, 65: «tua» sc. coniunx; I. 5, 42: «meam» sc. amicam, et sæpe alias. — *celebrate,* frequentate, i. e. ad me frequentes et sæpe venite; cf. Ov. Met. I. 173: «Atria nobilium valvis celebrantur apertis» i. e. a multis et sæpe intrantur. — *male habet,* vexat, aspere tractat. — *Consultent,* ut clientes iurisconsultum quendam clarum; *consultare* enim dicuntur proprie clientes, qui etiam *consultantes* et *consultores* vocantur; cf. Hor. Sat. I. 1, 9—10: «Agricolam laudet iuris legumque peritus, Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat».

V. 79—84. *Veneris præcepta ferentem,* discipulis meis ferentem et præbentem, ut Hor. Ep. I. 19, 33—34: «iuvat immemorata ferentem (sc. lectoribus) Ingenuis oculisque legi manibusque teneri». — *Deducat iuvenum sedula turba senem,* ut iurisconsultos celebres solebant iuvenes studiosi Romæ deducere (i. e. comitari) in forum et e foro domum; cf. Cic. De orat. III. 33, 133. et De senect. 63. — *Marathus,* nomen fictum pueri a Tibullo amati. — *lento,* longo et tenaci, nunquam desinente; cf. Hor. Carm. I. 13, 8: «Quam

lentis penitus macerer ignibus»; Ov. A. A. III. 573: «Ignibus . . . lentis torquetur ut umida tæda». — *turpis fabula fiam*, ne turpem fabulam de me homines narrent; Tibullum imitatur Ov. A. A. 630: «Ut quamque attigeris, fabula turpis erit». Cf. apud Tibullum ipsum II. 3, 31: «Fabula nunc ille est»; Hor. Epod. 11, 8: «fabula quanta fui» et Ep. I. 13, 9: «Cognomen vertas in risum et fabula fias»; Prop. II. 24, 1: «Tu quereris, cum sis iam noto fabula libro»; Ov. Am. III. 1, 21: «Fabula, nec sentis, tota iactaris in urbe». Simili sensu occurrit *rumor* apud Prop. I. 5, 26: «Quam cito de tanto nomine rumor eris».

II.

Lib. I. eleg. 8.

Introductio. Poeta hortatur Marathum, puerum delicatum sibi carum, quem amore Pholoes deperire animadvertit, ut rem dissimulare desinat (1—16). Non magicæ artes ei nocuerunt, sed pulchritudo puellæ (17—26). Puellam deinde alloquitur, ut puero facilis sit et iuventutem eius donis cani amatoris præferat; gaudia enim amoris, si iuventus præterierit, nullis muneribus atque artibus revocari postea posse (27—52). Narrat querelas pueri infeliciter amantis, ut animum Pholoes flectat (53—66). In fine ei pœnas deorum, ultorum crudelitatis, minatur et terret exemplo Marathi, qui nunc torqueatur fastu, quo antea ipse amatores suos cruciaverit (67—78).

V. 1—4. *Non ego celari possum*, poeta alloquitur Marathum, cuius amorem in Pholoen (vs. 96.) ex indiciis certis cognovit. — *ferant*, significent, nuntient. — *Nec mihi sunt*

sortes nec conscia fibra deorum, Praecinit eventus nec mihi cantus avis, non ex divinatione amorem tuum cognovi; cf. infra II. 5, 11: «tibi deditus augur» et adn. ad h. l. Tibullum imitatur Ov. Trist. I. 9, 49—50: «Hæc mihi non ovium fibræ tonitrusve sinistri Linguave servatæ pennave dixit avis». — *sortes,* alludit ad divinationem per sortes i. e. per tessellas aut tabellas inscriptas et ex urna ductas; cf. adn. infra ad I. 3, 11. — *conscia fibra deorum,* voluntatis deorum; alludit ad extispicium. Cf. Tac. Germ. 10., ubi equos, quorum præsagia Germani observabant, *conscios deorum* appellat et Prop. IV. 1, 104: «Aut sibi commissos fibra locuta deos». — *fibra,* intellegendæ sunt inprimis iecoris fibræ, quas maxime observabant haruspices; cf. Serv. ad Verg. Aen. X. 176. et Ge. I. 120: «fibræ sunt iecoris extremitates» et Paul. Fest. s. v. *Fiber* (p. 64. ed. Thewrewk). — *eventus,* eventura, ut infra I. 6, 50: «Et canit eventus, quos dea magna monet». — *cantus avis,* alludit ad augurium per oscines, i. e. per aves, quarum voces augures observabant.

V. 5—8. *Ipsa Venus . . . perdocuit,* sc. Venus multis tormentis fecit me amoris peritum; cf. Prop. I. 9, 5—8: «Non me Chaoniæ vincant in amore columbæ Dicere, quos iuvenes quæque puella domet; Me dolor et lacrimæ merito fecere peritum, Atque utinam posito dicar amore rudis». — *magico . . . nodo,* usitatissimus erat in magia amatoria nodus magico ritu constrictus, ut Verg. Ecl. 8, 76—77: «Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores, Necte, Amarylli, modo et: Veneris — dic — vincula necto». Quare poeta hoc loco Veneri ipsi talem nodum tribuit eumque imitatus est Ov. Her. 4, 136: «Imposuit nodos cui Venus ipsa suos». — *religatum,* sc. post tergum. — *Perdocuit multis non sine verberibus,* Veneri flagellum tribuit Hor.

Carm. III. 26, 11—12: «Regina, sublimi flagello Tange Chloen semel arrogantem». Tibulli locum respexit Lygd. 4, 65—66: «Sævus Amor docuit validos temptare labores, Sævus Amor docuit verbera posse pati». — *Desine dissimulare: deus crudelius urit, Quos videt invitos succubuisse sibi*, similis sententia apud Prop. I. 9, 34: «Dicere, quo pereas, sæpe in amore iuvat». — *deus*, pro: dea, agitur enim de Venere; cf. adn. infra ad I. 2, 88: «deus».

V. 9—12. *molles . . . coluisse capillos,* quia Marathus, puer delicatus, capillos alebat totumque corpus muliebrem in modum ornabat. — *Saepeque mutatas disposuisse comas*, i. e. sæpe mutare positum capillorum, aliter atque aliter crines disponere, eos positu variare; cf. Ov. A. A. I. 306: «Quid totiens positas fingis, inepta, comas?» et Med. fac. 19: «Vultis odoratos positu variare capillos». — *disposuisse comas,* proprie dicitur de positu capillorum, ut infra I. 9, 67: «Tune putas illam pro te disponere crines?»; cf. Ov. Am. I. 14, 35: «Quid male dispositos quereris periisse capillos?» et Ex Pont. III. 3, 16: «Nec bene dispositas comptus, ut ante, comas». — *fuco splendente genas ornare*, ut mulieres; modum fuci talis faciendi copiose describit Ov. Med. fac. 51. sqq. et addit: «Quæcumque afficiet tali medicamine vultum, Fulgebit speculo levior ipsa suo». — *ungues Artificis docta subsecuisse manu,* homines elegantiores Romæ ungues diligentissime curabant; cf. Hor. Ep. I. 1, 104—105. ad Mæcenatem: «et prave sectum stomacheris ob unguem De te pendentis, te respicientis amici». — *Artificis*, tonsoris cuiusdam artis suæ peritissimi. — *subsecuisse*, non: desecuisse, quia non totus unguis, sed tantum pars eius desecatur; cf. Ov. Fast. VI. 230: «Non ungues ferro subsecuisse licet».

V. 13—16. *vestes,* sc. vestes interiores; *amictus,* quod superinicitur vestibus. — *Ansaque . . . arta,* homines elegantiores utebantur vinculis pedum artis, unde Hor. Sat. I. 3, 31—32. de rustico: «et male laxus In pede calceus hæret» et Ov. A. A. I. 516. præcipit: «Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet». *Ansa,* sc. ansa crepidæ; ita appellabatur ea pars in utroque latere crepidæ, ubi foramina erant, per quæ corrigia ducebatur, unde: *colligat.* — *Illa,* sc. puella amata. — *venerit,* sc. in conspectum, ut infra IV. 2. 11—12: «Urit, seu Tyria voluit procedere palla, Urit, seu nivea candida veste venit». — *Nec nitidum tarda compserit arte caput,* hunc locum ante oculos habuisse videtur Prop. I. 15, 5—6: «Et potes hesternos manibus componere crines Et longa faciem quærere desidia» et III. 10, 14: «Et nitidas presso pollice finge comas». — *nitidum,* per prolepsin: ut niteat. — *tarda . . . arte,* ut etiam Terent. Heaut. II. 2, 11. ait: «Nosti mores mulierum: dum comuntur, annus est».

V. 17—22. *Num te carminibus* etc., cf. de magia alterum Tibulli locum infra I. 2, 41—64. — *carminibus,* sc. magicis. — *pallentibus herbis,* philtro ex herbis facto, quod homines amore pallere facit; cf. Ov. A. A. II. 105: «Nec data profuerint pallentia philtra puellis» et Prop. IV. 7, 36: «Sensi ego, cum insidiis pallida vina bibi», ubi pallidum vocatur vinum venenatum, quia homines necat et mortis pallore inficit. — *tacito tempore noctis,* quia artes magicæ noctu exercebantur. — *anus,* saga, ut infra I. 2, 42: «magico saga ministerio». — *Cantus vicinis fruges traducit ab agris,* sc. in alium agrum traducit; cf. Verg. Ecl. 8, 98: «Atque satas alio vidi traducere messes» et Ov. Rem. 255: «Non seges ex aliis alios transibit in agros». Hoc erat *excantare fruges,* quod lege duodecim tabularum vetabatur;

cf. Plin. N. H. XXVIII. 17: «legum ipsarum in duodecim tabulis verba sunt: qui fruges excantassit». — *Cantus et iratae detinet anguis iter*, detinet anguem irruere volentem; cf. Verg. Ecl. 8, 71: «Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis» et Ov. Am. II. 1, 25: «Carmine dissiliunt abruptis faucibus angues». — *Cantus et e curru Lunam deducere temptat*, credebant antiqui Lunam a sagis devotam deficere; cf. Verg. Ecl. 8, 69: «Carmina vel cælo possunt deducere lunam»; Ov. Am. II. 1, 23: «Carmina sanguineæ deducunt cornua lunæ»; Prop. I. 1, 19: «At vos, deductæ quibus est fallacia lunæ». — *curru*, ut Soli quadrigam, Lunæ bigam tribuunt poetæ, ut Pseudo-Verg. Cir. 38—39: «candida Lunæ Sidera cæruleis orbem pulsantia bigis». — *Et faceret, si non aera repulsa sonent*, putabant antiqui Lunæ propter devotionem deficienti et tamquam laboranti aeris (cymbalorum, pelvium) crepitu auxilium ferri posse. Cf. Liv. XXVI. 5: «Disposita in muris Campanorum imbellis multitudo tantum cum aeris crepitu, qualis in defectu lunæ silenti nocte cieri solet, edidit clamorem». Eandem rem tangit Ov. Med. fac. 41—42: «Et quamvis aliquis Temeseia moverit aera, Nunquam Luna suis excutietur equis» et Met. VII. 208—209: «Te quoque, Luna, traho, quamvis Temesæa labores Aera tuos minuant». — *faceret, si non... sonent*, similis variatio temporum Verg. Ge. IV. 116—119: «Atque equidem, extremo ni iam sub fine laborum Vela *traham* et terris *festinem* advertere proram, Forsitan et, pingues hortos quæ cura colendi Ornaret, *canerem*». — *aera repulsa*, pulsata, ut etiam I. 3, 24: «Illa tua totiens aera repulsa manu»; cf. Ov. Met. III. 532—533: «aerane tantum Aere repulsa valent».

V. 23—26. *Quid queror heu misero carmen nocuisse, quid herbas? Forma nihil magicis utitur auxiliis*, similis

sententia infra I. 5, 43—44: «Non facit hoc verbis, facie tenerisque lacertis Devovet et flavis nostra puella comis». — *misero carmen nocuisse, quid herbas,* ut infra I. 2, 60: «cantibus aut herbis»; locum imitatur Ov. Am. III. 7, 28: «num misero carmen et herba nocent?» — *nocuisse,* de magia, ut etiam Hor. Sat. I. 8, 22. herbas magicas *nocentes* vocat; cf. Prop. II. 19, 32: «Quin ego in assidua motem tua nomina lingua, Absenti nemo ne nocuisse velit», ubi Cynthiam a fascinatione defendere vult. — *femori conseruisse femur,* intellegendæ sunt leviores nequitiæ, non concubitus, quia, ut infra vss. 35—38. elucet, Pholoe nondum sui copiam fecit Maratho. Cf. Ov. Am. I. 4, 43: «Nec femori committe femur» et Her. 2, 57—58: «lateri conseruisse latus».

V. 27—32. *Persequitur poenis tristia facta Venus,* similis admonitio Hor. Carm. III. 10, 9—10: «Ingratam Veneri pone superbiam, Ne currente retro funis eat rota». — *tristia facta,* crudelia, ut Verg. Aen. II. 548. — *nec amplexus aspera barba terit,* qui non terit barba horrida amplectentem puellam. Cf. Ov. Fast. III. 496: «amplexus inquinat illa tuos» i. e. te amplectentem.

V. 33—38. *Et regum magnae despiciantur opes,* cf. Lygd. 3, 24: «At sine te regum munera nulla volo». — *Venus inveniet,* inveniet modum et tibi monstrabit. — *Dum tumet,* sc. puer præ libidine; cf. Hor. Sat. I. 2, 116: «tument tibi cum inguina» et Priap. 82, 43: «inguina arrigat tumor». — *teneros conserit usque sinus,* tenerum pectus suum pectori tuo conserit; cf. Ov. Her. 15, 101: «At quanto melius iungi mea pectora tecum» et Prop. IV. 7, 19—20: «Sæpe Venus trivio commissa est, pectore mixtro Fecerunt tepidas pallia nostra vias». *Conserere* sine dativo, ut Cic. Mur. 9: «signa contulit, manum conseruit» sc. hosti. — *pugnantibus . . . linguis oscula,* genus osculorum infame, quod

Græci καταγλώττισμα vocant; locum imitatur Ov. Am. III. 7, 9: «Osculaque inseruit cupide luctantia linguis»; eandem rem tangit Ov. Am. III. 14, 23: «Illic purpureis condatur lingua labellis» et ibid. II. 8, 57—58: «quod tota labellis Lingua tua est nostris, nostra recepta tuis». — *pugnantibus . . . linguis,* abl. abs. — *in collo figere dente notas,* ut infra I. 6, 13—14: «quis livor abiret, Quem facit impresso mutua dente Venus». Cf. Ov. Am. I. 7, 41: «Et collo blandi dentis habere notam»; Prop. IV. 6, 65: «Imponitque notam collo morsuque cruentat» et IV. 3, 25—26: «dentibus ulla puella Det mihi plorandas per tua colla notas».

V. 39—42. *Non lapis hanc gemmaeque iuvant,* hoc loco *lapis* non significat lapides pretiosos — nam hoc *gemmae* significant — sed margaritas, quibus mulieres aures et colla ornabant; cf. Martial. XI. 50: «Nunc plorat speculo fallax ancilla relicto, Gemma vel a digito vel cadit aure lapis»; Hor. Carm. III. 24, 48: «Gemmas et lapides»; Macrob. Saturn. III. 17, 17: «Eum (unionem) mature dissolutum, uti natura est eius *lapidis,* absorbuit (Cleopatra)». — *quae frigore sola dormiat,* de anu, quæ sola cubat itaque in lecto frigido dormit; locum imitatur Ov. A. A. III. 69—70: «Tempus erit, quo tu, quæ nunc excludis amantes, Frigida deserta nocte iacebis anus». — *infecit cana senecta caput,* albo colore tinxit, ut infra II. 2, 19—20: «dum tarda senectus Inducat rugas inficiatque comas». Cf. Ov. Trist. IV. 8, 2: «Inficit et nigras alba senecta comas».

V. 43—46. *viridi cortice tincta nucis,* etiam Plin. N. H. XV. 22. commemorat: «Tinguntur cortice earum lanæ et rufatur capillus primum prodeuntibus nuculis». — *Tollere tum cura est albos a stirpe capillos,* versum imitatur Prop. III. 25, 13: «Vellere tum cupias albos a stirpe capil-

los». — *a stirpe,* funditus, radicitus. — *faciem . . . novam,* iuvenilem. — *dempta pelle,* sc. cute rugosa. — *referre,* reducere, restituere.

V. 47—50. *At tu, dum primi floret tibi temporis aetas, Utere: non tardo labitur illa pede,* locum imitantur Prop. IV. 5, 57—58: «Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus, Utere, ne quid cras libet ab ore dies» et Ov. A. A. III. 61—62: «Dum licet et vernos etiam nunc degitis annos, Ludite: eunt anni more fluentis aquæ». — *primi . . . Temporis aetas,* iuventus, ut Prop. II. 10, 6: «Aetas prima canat Veneres, extrema tumultus». — *temporis aetas,* locutio pleonastica, ut Lucr. I. 558: «Infinita ætas ante acti temporis omnis» et Prop. I. 4, 7: «Et quascumque tulit formosi temporis ætas»; cf. etiam Prop. I. 7, 8: «ætatis tempora dura queri». — *Utere: non tardo labitur illa pede,* versum imitatur Ov. A. A. III. 65: «Utendum est ætate, cito pede labitur ætas». — *Utere,* sc. iuventute.

V. 50—54. *tenero,* quia puer est. — *non illi sontica causa est,* sc. cur palleat; non laborat morbo sontico. Cf. Gell. N. A. XX. 1: «Morbum vehementiorem, vim graviter nocendi habentem . . . morbum sonticum appellant». Quare morbus sonticus in iudiciis diem differebat teste Marcell. Digest. 42, 1, 60. *Sontica causa* est igitur causa ex morbo sontico, ut etiam Fest. s. v. (p. 514. ed. Thewrewk) docet. — *luto,* colore pallido; lutum proprio sensu est herba, quam viri docti hodie *resedam luteolam L.* vocant, ex qua pigmentum flavi coloris conficiebant antiqui; cf. Hor. Epod. 10, 16: «pallor luteus». — *Vel miser absenti,* iunge: miser puer vel absenti (i. e. non præsenti solum, sed etiam absenti) puellæ querelas conicit. — *conicit,* ut Prop. II. 1, 77: «mutæ iace verba favillæ». — *lacrimis omnia plena madent,* non vultus solum, sed omnes res,

quæ circa eum sunt, humectantur lacrimis decidentibus, ut elucet ex imitatione Ov. Her. 12, 62—64: «thalamo cara recepta soror Disiectasque comas adversaque in ora iacentem Invenit et lacrimis omnia plena meis», ubi agitur de lecto lacrimis madefacto.

V. 55—60. *poterat custodia vinci,* habebat igitur Pholoe amatorem, qui eam custodiri iussit. — *Ipse dedit cupidis fallere posse deus,* sc. Amor, ut infra IV. 6, 12: «Fallendique vias mille ministret Amor». — *cupidis,* Veneris fruendæ cupidis, ut infra vs. 74; I. 9, 58; IV. 6, 11; II. 4, 58; II. 5, 54. — *ut nec dent oscula rapta sonum,* ut ne oscula quidem sonum dent. — *quamvis obrepere,* ad quamvis puellam obrepere; cum accusativo, ut Plaut. Pœn. prol. 14: «Nam, nisi clamabis, tacitum te obrepet fames» et Trinum. 62: «Namque enim tu, credo, me imprudentem obrepseris». *Quamvis* pro: quamvis puellam, ut infra IV. 3, 21: «quæcumque» pro: quæcumque puella, I. 6, 69—70: «laudare nec *ullam* Possim ego» sc. puellam, II, 1, 9—10: «non audeat *ulla* Lanificam pensis imposuisse manum» sc. ancilla. *Obrepere* de iuvene furtim puellam adeunte, ut *subrepere* de puella iuvenem quærente IV. 3, 21: «quæcumque meo furtim subrepit amori» i. e. iuveni a me amato; cf. adn. ad h. l. — *strepitu nullo clam reserare fores,* cf. poetæ verba ad ianuam dominæ infra I. 2, 10: «Neu furtim verso cardine aperta sones».

V. 61—66. *promittit,* sc. se ad me venturam esse. — *subito sed perfida fallit,* locum expressit Prop. II. 22, 45—47: «Hic unus dolor est ex omnibus acer amanti, Speranti subito si qua venire negat: Quanta illum toto versant suspiria lecto». — *quodcumque movetur, Illius credo tunc sonuisse pedes,* ut Ov. Her. 19, 53—54: «et omnem Adventus strepitum credimus esse tui».

V. 67—70. *fletu lumina fessa tument,* ut Catull. 2, 18: «Flendo turgiduli rubent ocelli». Poeta puerum pulchrum flere vetat eadem de causa, qua Nemesin II. 6, 43: «Nec lacrimis oculos digna est fœdare loquaces». — *Nec prodest sanctis tura dedisse focis,* nam dii aspernantur dona impiorum; cf. Cic. De legg. II. 9: «Impius ne audeto placare donis iram deorum».

V. 71—74. *Marathus quondam miseros ludebat amantes,* alludit ad locum elegiæ præcedentis, I. 4, 81: «Heu heu quam Marathus lento me torquet amore» etc. — *ultorem post caput esse deum,* ut Senec. Herc. Fur. 385: «Sequitur superbus ultor a tergo deus». *Post caput* insolenter pro: a tergo; cf. Sophocl. Antig. 1272—1274: ἐν δ' ἐμῷ κάρᾳ Θεὸς τότ' ἄρα τότε μέγα βάρος μ' ἔχων Ἔπαισεν. — *deum,* Amorem, qui ulciscitur amatores a Maratho contemptos. — *cupidum,* cf. adn. supra ad vs. 56. — *ficta ... mora,* ficta causa differendi.

V. 75—78. *opposita ... sera,* sera enim opponitur ianuæ; cf. Ov. Am. III. 14, 10: «Opposita populum summovet ante sera» et A. A. II. 244: «Atque erit opposita ianua fulta sera». — *ianua dura,* crudelis, quia clausa est, ut I. 1, 56: «Et sedeo duras ianitor ante fores» et I. 2, 6: «Clauditur et dura ianua firma sera» et II. 6, 47: «a limine duro».

III.

Lib. I. eleg. 9.

Introductio. Poeta obiurgat Marathum, qui lucri cupiditate corruptus alii amatori se dedit (1—16). Frustra eum hortatus est, ne auro se corrumpi sineret; tamen fefellit amatorem suum fidelem (17—38). Etiam ingrati animi nota

afficiendus est, nam, quod animum puellæ amatæ sibi conciliare potuit, Tibullo debet (39—46). Nunc pudet poetam laudes Marathi cecinisse eumque procul abesse iubet (47—52). Tum corruptori eius, seni cuidam turpi, gravissima mala imprecatur: fallat eum uxor assiduis dolis (53—74). In fine iterum in Marathum invehitur seque mox alium puerum, quem amet, inventurum Venerique, si infelici amore resolvatur, donum votivum daturum dicit (75—84).

V. 1—6. *miseros . . . amores*, qui miseri facti sunt periurio Marathi. — *Foedera per divos . . . dabas*, fidem dabas, iurabas per deos, ut Ov. Met. II. 757: «contra data fœdera» pro: contra datam fidem. — *Sera tamen tacitis Poena venit pedibus*, Pœna personificata sera (tarda) vocatur, ut Hor. Carm. III. 2, 31—32: «Raro antecedentem scelestum Deseruit pede Pœna claudo»; conferri possunt apud Græcos ὑστερόποινος Ἄτα (Aesch. Chœph. 383.) et ὀπισθόπους Δίκη, de qua Eurip. fr. 969. N.: ἀλλὰ σῖγα καὶ βραδεῖ ποδὶ Στείχουσα μάρψει τοὺς κακούς, ὅταν τύχῃ. — *Sera . . . Poena*, ut Prop. III. 6, 32: «Pœna erit ante meos sera, sed ampla, pedes». — *aequum est impune licere Numina formosis laedere vestra semel*, idem optat Ovidius Corinnæ Am. II. 14, 43—44: «Di faciles, peccasse semel concedite tuto, Et satis est pœnam culpa secunda ferat». — *formosis*, cf. adn. supra ad I. 4, 3.

V. 7—12. *habili . . . aratro*, vertendæ terræ apto. — *urget opus*, totis viribus incumbit, ut etiam Ov. Met. IV. 390. — *instabiles . . . rates*, incerto motu fluctuantes, ut infra II. 3, 40: «dubiis ratibus»; cf. Verg. Ge. IV. 195: «cymbæ instabiles» et Ov. Met. II. 163—164: «Utque labant curvæ iusto sine pondere naves Perque mare instabiles nimia levitate feruntur». — *sidera certa*, quæ viam certo monstrant, ut Hor. Carm. II. 16, 3—4: «neque certa fulgent Sidera

nautis». — *At deus illa In cinerem et liquidas munera vertat aquas,* ut infra vss. 49—50: «Illa velim rapida Vulcanus carmina flamma Torreat et liquida deleat amnis aqua» et II. 4, 39—40: «At tibi, quæ pretio victos excludis amantes, Eripiant partas ventus et ignis opes»; locum imitatus est Prop. III. 16, 43—44: «Sed quascumque tibi vestes, quoscumque smaragdos, Quosve dedit flavo lumine chrysolithos, Hæc videam rapidas in vanum ferre procellas, Quæ tibi terra velim, quæ tibi fiat aqua».

V. 13—16. *Iam mihi persolvet poenas* etc., is igitur, qui puerum donis corrupit (vs. 53.), iter facturus erat cum eo. — *pulvisque,* sc. viarum.

V. 17—22. *auro multa subesse mala,* ita ut lateant et non statim animadvertantur; hoc enim significat *subesse,* ut Tac. Hist. IV. 16: «subesse fraudem consilio patuit». — *Asperaque,* crudelis, dura, ut I. 6, 2: «es misero tristis et asper, Amor», — *difficilisque,* quæ precibus exorari non potest. — *Ure meum potius flamma caput et pete ferro Corpus et intorto verbere terga seca,* amans mavult servilia supplicia pati, quam Marathum videre infidelem; domini enim crudeles servos admotis facibus urere, ferro vulnerare et flagellis cædere solebant. Ceterum crebra est talium pœnarum in poesi amatoria commemoratio, ut I. 5, 5, ad Deliam: «Ure ferum et torque», II. 4, 6. ad Nemesin: «Uror, io, remove, sæva puella, faces» et IV. 13, 19: «nunc tu me audacius ures». — *intorto verbere,* flagello, quod ex loris contortis constat, ut: «verbera torta» infra I. 6, 46. et Ov. Ib. 159; «verbere torto» Verg. Ge. III. 106. et Aen. VII. 378; «contorto verbere» Ov. Met. VII. 757. *Intorto,* ut Catull. 64, 235: «Candidaque intorti sustollant vela rudentes». — *seca,* de verberibus, ut Hor. Ep. 4, 11: «Sectus flagellis hic triumviralibus».

V. 23—28. *Est deus*, sc. Amor, qui infideles punit. — *tacito . . . ministro*, servo, qui ceterum fideliter custodit secreta domini. — *laeve*, stulte (voc.), ut Hor. A. P. 301—302: «O ego lævus, qui purgor bilem sub verni temporis horam» et Verg. Ecl. 1, 16. et Aen. II. 54: «si mens non læva fuisset». Similiter usurpatur Græce σκαιός. Ceterum *laeve* est mea coniectura; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *Ederet ut multo libera verba mero*, ut Ov. Trist. III. 5, 48: «Lapsaque sunt nimio verba profana mero».

V. 29—34. *ad teneros . . . pedes*, sc. Marathi. — *divitis auri Pondere*, ut etiam infra I. 10, 7: «Divitis hoc vitium est auri»; locum imitatur Lygd. 3, 11: «Nam grave quid prodest pondus mihi divitis auri». Cf. Prop. III. 5, 4: «Nec bibit e gemma divite nostra sitis». — *Campania terra*, ut dicitur etiam: terra Arabia, Africa etc.; Campaniam commemorat, quia teste Plin. N. H. XVIII. 111: «universas terras campus Campanus antecedit» sc. fertilitate. Cf. Prop. III. 5, 5: «Nec mihi mille iugis Campania pinguis aratur» et Ov. Ex Pont. IV. 15, 17: «rus oculis domini Campania gratum». — *Bacchi cura Falernus ager*, in Campania sub monte Massico, ubi vinum crescebat generosissimum; cf. Stat. Silv. II. 2, 4—5: «Qua Bromio dilectus ager collesque per altos Uritur et prelis non invidet uva Falernis».

V. 35—38. *Illis eriperes verbis* etc., intellege: illis verbis eriperes mihi opinionem, sidera lucere etc. — *rubras fulminis esse vias*, cf. Pind. Ol. 9, 10: Ζεὺς φοινικοστερόπας; Hor. Carm. I. 2, 2—3. de Iove fulminante: «rubente Dextera sacras iaculatus arces»; Mart. Cap. 2, 123: «sacra fulgura cur rutilescant». Ceterum *rubras* est coniectura Postgatii; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *vias*, de fulmine cadente, ut Senec. Thyest. 358: «Quem non concutiat cadens Obliqui via fulminis». Cf. Verg. Aen. II. 696—698. de stella cælo

delapsa: «Cernimus Idæa claram se condere silva Signantemque vias; tum longo limite sulcus Dat lucem». — *tergebam umentes . . . genas,* sc. genas Marathi flentis.

V. 39—44. *Quid faciam, nisi et ipse fores in amore puellae,* poeta primum de pœna sumenda cogitat, sed deinde in mentem ei venit Marathum infelici erga puellam amore satis esse punitum, ac si dicat: «Quam pœnam sumam? Certe sumerem, nisi» etc. — *in amore puellae,* intellege amorem Marathi in Pholoen, de quo agitur supra I. 8. — *O quotiens* etc., Pholoe igitur, quæ, ut ex I. 8. elucet, Marathi amorem diu aspernata erat, postea Tibullo persuadente non erat iam puero difficilis. — *Ipse comes multa lumina nocte tuli,* servile officium suscepit facem ferens, cum Marathus amicam noctu e convivio domum reduceret. — *Saepe insperanti venit tibi munere nostro Et latuit clausas post adoperta fores,* Marathus ante domum puellæ clausam stetit desperans, cum puella e cubiculo in vestibulum venit et post ianuam latuit, ut eam mox reseraret et ad Marathum exiret. Comparari potest Trabeæ comici locus apud Cic. Tuscul. IV. 31: «Lena delinita argento nutum observabit meum, Quid velim, quid studeam: adveniens digito impellam ianuam: Fores patebunt de improviso, Chrysis ubi me adspexerit, Alacris obviam mihi veniet complexum exoptans meum». — *munere nostro,* mea opera, meo beneficio; Pholoe enim rogatu Tibulli mollior facta est Maratho. — *adoperta,* capite velato, ne agnosceretur a prætereuntibus, cum e domo ad amatorem exiret.

V. 45—52. *ad laqueos cautior esse,* cautior adversus fraudes tuas. — *attonita . . . mente,* amore percussus, ut Ov. A. A. II. 295—296: «Sed tu, cuicumque est retinendæ cura puellæ, Attonitum forma fac putet esse sua». — *Pieridumque,* carminum in laudem tuam factorum; cf. IV. 7, 3:

«Exorata meis . . . Cytherea Camenis», ubi Camenæ carmina Sulpiciæ amatoria significant. V. etiam adn. supra ad I. 4, 61: «Pieridas». — *pudet*, similiter dicit Prop. III. 24, 3—4: «Noster amor tales cecinit tibi, Cynthia, laudes: Versibus insignem te pudet esse meis». — *Illa velim rapida Vulcanus carmina flamma Torreat et liquida deleat amnis aqua*, cf. adn. supra ad vss. 11—12. Similem rem tangit Hor. Carm. I. 16, 2—4: «Quem criminosis cumque voles modum Pones iambis, sive flamma Sive mari libet Hadriano». — *Vulcanus*, ignis. — *plena . . . manu*, pecuniæ plena, ut I. 5, 67—68: «Heu canimus frustra nec verbis victa patescit Ianua, sed plena est percutienda manu».

V. 53—58. *Rideat . . . inulta dolis*, eludat, decipiat te impune; cf. Ter. Andr. III. 4, 4: «deridere dolis». — *furtivo . . . usu*, consuetudine stupri furtiva. — *lassaverit*, ut Carm. Priap. 47, 3—4: «Illius uxor aut amica rivalem Lasciviendo languidum, precor, reddat». — *Tecum interposita languida veste cubet*, amplexus tuos arceat, ut Prop. II. 15, 6: «Interdum tunica duxit operta moram» et III. 21, 8: «extremo dormit amicta toro». — *Semper sint externa tuo vestigia lecto*, cf. Prop. II. 9, 45: «Nec domina ulla meo ponet vestigia lecto» et II. 29, 35—36: «Apparent non ulla toro vestigia presso, Signa voluptatis»; Ov. Am. I. 8, 97: «Ille viri videat toto vestigia lecto». — *pateat . . . aperta*, cumulate dictum, ut sæpius apud Tibullum. — *cupidis*, vide adn. ad I. 8, 56; cf. etiam Ov. A. A. III. 88: «Gaudia nec cupidis vestra negate viris».

V. 59—64. *lasciva soror*, sc. soror senis illius, qui Marathum corrupit. — *plures emeruisse viros*, exhausisse, confecisse, ut Carm. Priap. 34, 4: «Quæ quot nocte viros peregit una». — *convivia ducere Baccho, Dum* etc., convivia producere usque ad ortum solis, ut Hor. Carm. III.

21, 21—24. ad amphoram: «Te Liber et si læta aderit Venus Segnesque nodum solvere Gratiæ Vivæque producent lucernæ, Dum rediens fugat astra Phœbus». Simile est apud Tibullum ipsum II. 3, 47: «At mihi læta trahant Samiæ conviviæ testæ»; cf. etiam adn. supra ad I. 4, 5. — *convivia ducere,* ut Hor. A. P. 376: «poterat duci quia cena sine istis». — *Baccho,* potatione. — *rota Luciferi provocet orta diem,* locum imitatur Ov. Fast. I. 456. de gallo: «Quod tepidum vigili provocet ore diem» et Ex Pont. I. 4, 57—58: «Memnonis hanc utinam . . . mater Quam primum roseo provocet ore diem». — *rota Luciferi,* stellæ matutinæ, ut Soli et Lunæ, currum et equos tribuunt poetæ; cf. Ov. Am. I. 6, 65: «Iamque pruinosos molitur Lucifer axes» et ibid. II. 11, 56: «Lucifer admisso tempora portet equo». — *operum . . . vàrias vices,* diversas figuras sive modos concubitus; *opus* de concubitu, ut Ov. Am. II. 10, 36: «Cum moriar, medium] solvar et inter opus» et Priap. 4, 4: «Si pictas opus edat ad figuras»; idem significat *dulce opus* Ov. Am. I. 4, 48. et A. A. II. 480. — *disposuisse,* i. e. quo ordine diversæ figuræ se excipere debeant; de eadem re Ov. Am. III. 7, 64: «Quos ego non finxi disposuique modos».

V. 65—70. *tua,* sc. uxor; cf. adn. supra ad I. 4, 75: «suæ». — *non solita corpus ab arte movet,* sc. in concubitu. — *ab arte,* pro simplici ablativo primum apud Tibullum occurrit hoc loco et I. 5, 4; II. 1, 56; eum secuti sunt Prop. III. 25, 5. et Ov. Am. II. 12, 4. et 15, 14; Fast. II. 764; Trist. II. 462 et IV. 10, 16. — *disponere crines,* cf. adn. supra ad I. 8, 10. — *denso pectere dente,* pectine dentato, in quo densi dentes sunt. — *Istane . . . facies,* alludit ad turpitudinem senis, ut infra vss. 73—74. Hoc loco *istane* est coniectura Postgatii; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *auroque lacertos Vinciat,* aureis armillis, ut Ov.

Her. IX. 59: «Non puduit fortes auro cohibere lacertos». — *Tyrio prodeat apta sinu,* palla purpurea, ut IV. 2, 11: «Urit, seu Tyria voluit procedere palla». — *prodeat,* in conspectum hominum veniat. — *apta,* ornata, ut Verg. Aen. IV. 482: «Axem umero torquet stellis ardentibus aptum».

V. 71—76. *devoveat,* perdat. — *remque domumque,* rem familiarem et totam domum; cf. Ov. Her. 17, 159: «resque domusque». — *vitio,* pravitate animi. — *Venerem iungere,* concumbere, ut infra IV. 13, 2; Ov. A. A. II. 679. et Rem. 407.

V. 77—80. *Blanditiasne meas . . . oscula . . . mea,* mihi debita, ut Ov. Her. 20, 145. Acontius de rivali suo: «mea turpiter oscula sumis». — *me vinctum puer alter habebit,* de vinclis amoris cf. infra I. 1, 55: «Me retinent vinctum formosæ vincla puellæ» et II. 4, 3—4: «teneorque catenis Et nunquam misero vincla remittit amor».

V. 81—84. *Venerique merenti,* in æde Veneris, quæ tale donum meret; liberavit enim poetam amore infelici; cf. Ov. Fast. III. 268: «Et posita est meritæ multa tabella deæ». — *Fixa,* proprie dicitur de donis votivis, quæ diis consecrabantur, ut Hor. Ep. I. 1, 4—5: «Veianius armis Herculis ad postem fixis latet abditus agro» et Verg. Aen. III. 286—287: «Aere cavo clipeum, magni gestamen Abantis, Postibus adversis figo» et Prop. II. 14, 25—26: «Magna ego dona tua figam, Cytherea, columna Taleque sub nostro nomine carmen erit: Has pono ante tuas tibi, diva, Propertius ædes Exuvias, tota nocte receptus amans». — *notet,* sc. inscriptione. — *aurea parma,* clipeolus cum imagine deæ; clipeus enim sive clipeum dicitur discus ex ære, in qua sculpebantur deorum aut magnorum virorum imagines; cf. Corp. Glossar. Lat. (ed. Gœtz) V. p. 180, 6: «Clipeum

imago rotunda, in qua solum caput pingitur». Huiusmodi clipei ornatus causa in templis affigi solebant; cf. Liv. XXXV. 10; Plin. N. H. VIII. 221. et XXXV. 14. — *parma*, ex coniectura Scaligeri; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *Hanc tibi* etc., est inscriptio doni. — *grata sis, dea, mente*, antiqui pro donis suis gratiam a diis exigebant, unde infra IV. 6, 19: «Sis Juno, grata» et Anth. Pal. VI. 209, 1—3: Βιθυνὶς Κυθέρη με τεῆς ἀνεθήκατο, Κύπρι, Μορφᾶς εἴδωλον λύγδινον εὐξαμένα. Ἀλλὰ σὺ τῇ μικκῇ μεγάλην χάριν ἀντιμερίζου.

DETESTATIO BELLI.

Lib. I. eleg. 10.

Introductio. Ad bellum profecturus detestatur enses et prœlia causamque bellorum, avaritiam; laudat contra aureæ ætatis securitatem (1—14). Precatur Lares suos, ut tela hostium avertant iisque pro felici reditu vota facit (15—32). Insanos dicit eos, qui mortem horrendam bellis accelerent seque parvo contentum cum uxore et natis rure vivere ibique consenescere malle affirmat (33—44). Sequitur laus Pacis. Nam pace agricultura viget, læta rusticorum festa celebrantur (45—52). Non Martis, sed Veneris bella tunc geruntur (53—66). In fine: invocatio deæ Pacis (67—68).

Scripsit poeta elegiam verisimiliter a. 31. a. Chr. n., priusquam ad bellum Aquitanicum proficisceretur.* Hoc carmine novam ingreditur viam: reiecta enim Alexandrinorum imitatione, quam elegiæ Maratho sacratæ præ se ferunt, spretisque lasciviis suus esse incipit dulcissimosque sensus amatorios iucunde miscet laude vitæ rusticæ, in qua Vergilii Eclogas et Georgica ante oculos habet. Talia carmina sunt: I. 10; I. 3, 1, 5, 2, 6; I. 7; II. 1.

V. 1—6. *protulit,* invenit, ut Cic. Acad. II. 1, 2: «artem memoriæ, quæ tum primum proferebatur»; Hor. A. P. 58: «nova rerum Nomina protulerit»; Prop. II. 6, 31—32:

* Cf. infra Excurs. II.

«A gemat in terris, ista qui protulit arte Iurgia». — *ferus et . . . ferreus*, sollemnis locutio fuisse videtur, ut Cic. ad Quint. fratr. I. 3, 3: «Quam ego ferus ac ferreus e complexu dimisi meo». — *ferreus illi fuit*, eadem verba initio hexametri infra I. 2, 65; totum distichon imitatur Lygd. 2, 1—2: «Qui primus caram iuveni carumque puellæ Eripuit iuvenem, ferreus ille fuit». — *Tum cædes hominum generi, tum prœlia nata, Tum brevior diræ mortis aperta via est*, ut infra I. 3, 49—50: «Nunc Iove sub domino cædes et vulnera semper, Nunc mare, nunc leti mille repente viæ» et II. 3, 38: «Hinc cruor, hinc cædes mors propiorque venit»; cf. Hor. Carm. I. 3, 32—33: «Semotique prius tarda necessitas Leti corripuit gradum». — *ille miser meruit*, peccavit, ut infra I. 2, 83: «Non ego, si merui, dubitem procumbere templis» et II. 4, 5: «Et seu quid merui seu nil peccavimus, urit». Cf. Terent. Andr. I. 1, 112: «Quid feci, quid commerui aut peccavi?»; Prop. I. 18, 9: «Quid tantum merui?» — *miser*, quia imprudens nocuit generi humano. — *nos ad mala nostra Vertimus, in sævas quod dedit ille feras*, cf. Pythagoræ verba apud Ov. Met. 15, 106: «primoque e cæde ferarum Incaluisse ferunt maculatum sanguine ferrum». Ei, qui primus ausus esset hastis contra feras inventis ad hominum perniciem uti, diras imprecatus esse videtur Parthenius, poeta elegiacus, cuius fragmentum exstat in Schol. Venet. ad Hom. Il. IX. 446: Ὅστις ἐπ' ἀνθρώπους ἔξυσεν αἰγανέην.

V. 7—12. *Divitis . . . auri*, ut supra I. 9, 31; cf. adn. ad h. l. — *Faginus astabat cum scyphus ante dapes*, antiquæ simplicitatis est, ut Ov. Met. VIII. 669: «fabricataque fago Pocula» et Ov. Fast. V. 521—522: «Nunc dape, nunc posito mensæ nituere Lyæo: Terra rubens crater, pocula fagus erat». — *astabat . . . scyphus*, sc. in mensa, ut

Hor. Sat. I. 6, 117—118. in descriptione mensæ suæ: «adstat echinus Vilis, cum patera guttus, Campana supellex». — *Non arces, non vallus erat*, ut Ov. Met. I. 97. de ætate aurea: «Nondum præcipites cingebant oppida fossæ». — *somnumque petebat Securus sparsas dux gregis inter oves*, intellege: non arces, non vallus, ne stabula quidem erant; ceterum cf. Ov. Met. I. 100: «Mollia securæ peragebant otia gentes». — *sparsas*, sc. dispersas in pascuis; non erat igitur opus vesperi, ut Verg. Ecl. 6, 85. dicit: «cogere oves stabulis numerumque referri». Ceterum *sparsas* est lectio codicum deteriorum; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *dux gregis*, hoc loco, ut etiam Pseudo-Verg. Cul. 175., pastorem, apud Ov. Met. VII. 311. arietem significat; infra II. 1, 58: «dux pecoris» est hircus. — *dux gregis inter oves*, eadem verba initio hexametri Ov. Met. VII. 311: «Dux gregis inter oves agnus medicamine fiet». — *Tunc mihi vita foret dulcis nec tristia nossem*, antithesis, ut Lygd. . 42: «Edidit hæc dulci tristia verba modo». Ceterum *dulcis* est hoc loco lectio codicum deteriorum; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *vita . . . dulcis*, ut Lucr. II. 997: «Et dulcem ducunt vitam». — *foret*, pro: *fuisset*, ut Verg. Aen. III. 416—417: «Hæc loca . . . Dissiluisse ferunt, cum protinus utraque tellus Una foret». — *tristia . . . arma*, ut infra vs. 49—50: «tristia duri Militis arma»; cf. Hor. A. P. 73: «tristia bella»». — *corde micante*, palpitante; Tibullum imitatur Ov. A. A. III. 722: «Pulsantur trepidi corde micante sinus», Fast. VI. 338: «Et fert suspensos corde micante gradus», ibid. III. 36: «corque timore micat» et 351: «Corda micant regis».

V. 13—18. *trahor*, ultima syllaba in arsi producta, ut Verg. Aen. XI. 323: «Considant, si tantus amor, et mœnia condant». — *Hæsura in nostro tela gerit latere*, cf. Verg.

Aen. IV. 73: «hæret lateri letalis harundo.» — *patrii . . . Lares,* a patribus accepti, ut II. 1, 17: «di patrii» (i. e. Lares) et I. 3, 33: «patrios Penates». — *aluistis et idem,* pueri parvi in tutela Larum erant, quare sumpta virili toga bullam depositam iis sacrabant; cf. Pers. Sat. V. 30—31: «Cum primum pavido custos mihi purpura cessit Bullaque succinctis Laribus donata pependit». — *idem,* pro: iidem. — *Neu pudeat prisco vos esse e stipite factos,* erant igitur simulacra lignea, cum alii Lares aureos aut argenteos haberent; cf. Petron. 29: «Lares argentei». — *veteris . . . avi,* ut I. 1, 41: «antiquo avo» et II. 1, 2: «a prisco avo».

V. 19—24. *tenuere fidem,* sc. homines. — *paupere cultu,* quia simulacra Larum non erant facta ex pretiosa materia neque rebus pretiosis ornabantur. — *in exigua . . . æde,* in ædicula Larum, quæ aut in cavo parietis erat supra focum aut in armario quodam; cf. Petron. 29: «præterea grande armarium in angulo vidi, in cuius ædicula erant Lares argentei positi». — *ligneus . . . deus,* sc. Lar. — *seu quis libaverat uvam,* primitias frugum Laribus sacrabant; cf. Hor. Carm. III. 23, 3—4: «Si ture placaris et horna Fruge Lares» et Porphyr. ad h. l.: «consuetudo fuit, ut rerum primitias Laribus ponerent»; Hor. Sat. II. 5, 12—14. ironice: «dulcia poma Et quoscumque feret cultus tibi fundus honores Ante Larem gustet venerabilior Lare dives». — *Seu dederat sanctæ spicea serta comæ,* versum imitatur Ov. Am. III. 10, 36: «Deciderant longæ spicea serta comæ» et Fast. IV. 616: «Imposuitque suæ spicea serta comæ». — *Postque comes purum filia parva favum,* locum imitatur Ov. Fast. II. 652: «Porrigit incisos filia parva favos».

V. 25—28. *At nobis ærata, Lares, depellite tela,* post hunc versum excidisse videntur duo versus, ubi poeta pro

felici reditu vota Laribus nuncupaverat; Laribus autem ideo vota facit, quia hostes a Laribus arceri credebant veteres; cf. Paul. Fest. s. v. *Hostilis* (p. 72. ed. Thewrewk) dicit: «Hostilis Laribus immolabant, quod ab his hostes arceri putabant». Unde existimabant antiqui etiam nomen *hostiæ* ductum teste Ov. Fast. I. 336: «Hostibus a motis hostia nomen habet». — *Hostiaque e plena rustica porcus hara,* locum imitatur auct. Carm. Priap. 65, 2: «Cæditur e tepida victima porcus hara» et Ov. Am. III. 13, 16: «Et minor ex humili victima porcus hara». — *porcus,* sæpissime immolabatur Laribus; cf. Hor. Sat. II. 3, 164—165: «immolet æquis Hic porcum Laribus» et Carm. III. 23, 3—4: «Si ture placaris et horna Fruge Lares avidaque porca». Vovebant porcum pro felici reditu etiam aliis diis, ut docet fragm. Pomponii apud Gell. N. A. 16, 6: «Mars, tibi voveo facturum, si unquam redierit, bidente verre». — *Hanc pura cum veste sequar,* sc. si rediero. — *pura cum veste,* recens lota, sine maculis, qualem sacrificantes induere debebant; cf. infra II. 1, 13: «Casta placent superis: pura cum veste venite». — *myrtoque canistra Vincta geram,* myrti usum in cultu Larum commemorat etiam Hor. Carm. III. 23, 15—16: «Parvos coronantem marino Rore deos fragilique myrto». — *canistra,* in quibus tus, libum, mola salsa erant ad sacrificium necessaria.

V. 29—32. *Sic placeam vobis,* sc. sacra pie colens, pacificis moribus, non bellicam prædam referens. — *Sternat et adversos Marte favente duces,* versum imitatur Ov. Her. 3, 38: «Et preme turbatos Marte favente viros». — *Ut mihi potanti possit sua dicere facta Miles et in mensa pingere castra mero,* locum ante oculos habuit Ov. Her. 1, 31—32: «Atque aliquis posita monstrat fera prœlia mensa Pingit et exiguo Pergama tota mero».

V. 33—38. *Quis furor est,* ut infra IV. 3, 7: «Quis furor est, quæ mens». — *atram . . . mortem,* ut I. 3, 5: «Abstineas, Mors atra, precor». — *bellis arcessere mortem,* ut Lucan. VII. 252: «fatum arcessite ferro». — *Imminet et tacito clam venit illa pede,* ut Ov. Trist. III. 7, 35—36: «senectus, Quæ strepitum passu non faciente venit» et A. A. II. 670: «Iam veniet tacito curva senecta pede». — *infra,* sc. in Orco. — *audax Cerberus,* epitheton aptum cani, ut Prop. II. 19, 20: «audaces ipse monere canes». Cf. Stat. Theb. VI. 476. de Cerbero: «ianitor atræ Impavidus Lethes». — *Stygiæ navita turpis aquæ,* Charon; *turpis,* ut Verg. Aen. VI. 298. sqq.: «Portitor has horrendus aquas et flumina servat Terribili squalore Charon, cui plurima mento Canities inculta iacet, stant lumina flamma, Sordidus ex umeris nodo dependet amictus»; Prop. III. 18, 24: «Scandenda est torvi publica cymba senis»; Iuv. Sat. III. 265. de mortuo: «Iam sedet in ripa tætrumque novicius horret Porthmea». — *perfossisque genis ustoque capillo,* credebant multi vestigia ignis conspicua esse in umbris mortuorum crematorum; cf. Prop. IV. 7, 9—18. de umbra Cynthiæ: «lateri vestis adusta fuit Et solitum digito beryllon adederat ignis». — *perfossisque genis,* caveis oculorum effossis, i. e. oculis igne rogi exustis. Contrarium dicit Prop. IV. 7, 7—8. de imagine Cynthiæ mortuæ: «Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos, Eosdem oculos: lateri vestis adusta fuit». Ceterum *perfossisque* est coniectura mea; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *genis,* genæ hoc loco caveas oculorum significant, ut Prop. III. 12, 26: «Exustæque tuæ mox, Polypheme, genæ» et IV. 5, 16: «Cornicum immeritas eruit ungue genas»; Ov. Met. XIII. 561—562: «digitos in perfida lumina condit Expilatque genis oculos» et Ex Pont. II. 8, 66: «Et patiar fossis lu-

men abire genis». — *ad obscuros . . . lacus,* flumina inferna lacus vocat, quia tarde fluunt, ut infra II. 6, 46: «Venit ad infernos sanguinolenta lacus»; cf. Verg. Aen. VI. 134: «bis Stygios innare lacus» et 369: «Stygiamque innare paludem»; Hor. Carm. II. 14, 17—18: «Visendus ater flumine languido Cocytos errans» et Prop. II. 28, 41—42: «Una ratis fati nostros portabit amores Cærula ad infernos velificata lacus».

V. 39—44. *Occupat . . . pigra senecta,* ut infra I. 1, 71: «Iam subrepet iners ætas»; *occupat,* quia obrepit non animadversa, ut Hor. Ep. I. 20, 17—18: «pueros elementa docentem Occupet extremis in vicis balba senectus» et Iuv. Sat. IX. 129: «obrepit non intellecta senectus»; *pigra,* ut infra II. 2, 19: «tarda senectus» et I. 1, 71: «iners ætas», quia avocat a rebus gerendis et corpus reddit languidum. — *calidam fesso comparat uxor aquam,* ad balneum; poeta ante oculos habuit Hor. Epod. 2, 43—44: «Sacrum vetustis lignis exstruat focum Lassi sub adventum viri»». — *Sic ego sim,* ut Plaut. Amph. 573: «utinam ita essem» et 604: «sic sum, ut vides». — *liceatque caput candescere canis,* locum imitatur Prop. II. 8, 5: «Quid mea si canis ætas candesceret annis?» — *canis,* sc. capillis, ut Græce Anth. Pal. V. 76. 3: Ἠλλάχθη δὲ χρόνῳ καὶ γήραϊ καὶ πολιαῖσι; Latine Cic. Senect. 18: «Non cani, non rugæ repente auctoritatem arripere possunt» et Ov. Met. III. 516: «albentia tempora canis». — *Temporis et prisci facta referre senem,* versum imitatur Lygd. 5, 26: «Et referam pueris tempora prisca senex».

V. 45—52. *Interea,* dum ruri senesco. — *Pax candida,* quia dea Pax candidam vestem habet, ut elucet infra vs. 68: «Profluat et pomis candidus ante sinus»; color albus autem felicitatem significat. — *Duxit araturos sub iuga panda boves,* locum imitatur Ov. Am. I. 13, 16: «Prima vocas

tardas sub iuga panda boves» et Her. 6, 10: «Isse sacros Martis sub iuga panda boves» et Ex Pont. I. 8, 54: «Ducam ruricolas sub iuga curva boves». — *sucos condidit uvæ,* condere amphoris, ut Hor. Carm. I. 20, 1—3: «Vile potabis modicis Sabinum Cantharis, Græca quod ego ipse testa Conditum levi». — *Funderet ut nato testa paterna merum,* locum imitatur Ov. A. A. II. 695: «mihi fundat avitum Consulibus priscis condita testa merum». — *Pace bidens vomerque nitent, at tristia duri Militis in tenebris occupat arma situs,* imitatio loci apud Ov. Fast. IV. 927—928: «Sarcula nunc durusque bidens et vomer aduncus, Ruris opes, niteant, inquinet arma situs». — *bidens vomerque,* bidentis in vineis et hortis, vomeris in agris usus; bidens et aratrum una commemorantur etiam I. 1, 29—30: «Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentem, Aut stimulo tardos increpuisse boves» et II. 3, 5—7: «quam fortiter illic Versarem valido pingue bidente solum Agricolæque modo curvum sectarer aratrum». — *nitent,* propter usum. — *occupat arma situs,* sc. robigo propter situm; cf. Hor. Sat. II. 1, 43: «Iuppiter, ut pereat positum robigine telum». — *Rusticus e lucoque,* inter vss. 50. et 51. videntur excidisse aliquot versus de bona messe et de festis lætis rusticorum; idem transitus II. 5, 84—90. — *e lucoque,* sc. e luco sacro, ubi festum egit. — *lucoque,* coniunctio -*que* post tertium sententiæ verbum; talis collocatio coniunctionis est Tibullo propria. — *male sobrius,* ebrius, ut Ov. Fast. VI. 785: «Ecce suburbana rediens male sobrius æde». Ebrius, nam II. 1, 31—32. Tibullus ipse dicit: «non festa luce madere Est rubor errantes et male ferre pedes». *Male* sæpe vim negativam habet, ut apud Hor. Carm. I. 9, 24: «male pertinax» = non pertinax, Ep. I. 19, 3: «male sanus» = insanus et Ep. II. 20, 5:

«male parens» = repugnans. — *ipse,* opponitur rusticus uxori et liberis, qui non sunt ebrii.

V. 53—58. *Sed Veneris tunc bella calent scissosque capillos Femina perfractas conqueriturque fores,* de bellis Veneris cf. infra I. 1, 73—75: «Nunc levis est tractanda Venus, dum frangere postes Non pudet et rixas inseruisse iuvat. Hic ego dux milesque bonus». Idem transitus a festis rusticorum ad rixas amantium infra II. 5, 95—104. — *bella calent,* magno cum fervore geruntur; cf. Verg. Aen. I. 436: «Fervet opus». — *scissosque capillos,* sæpissime huius rei mentio occurrit apud poetas eroticos, ut Prop. II. 5, 23—24: «Nec tibi conexos iratus carpere crines, Nec duris ausim lædere pollicibus» et Ov. Am. I. 7, 11: «Ergo ego digestos potui laniare capillos?» — *perfractas . . . fores,* sc. ab amatoribus exclusis, ut Prop. II. 5, 22: «Nec mea præclusos fregerit ira fores». — *teneras obtusa genas;* cf. Ov. A. A. III. 568: «Nec dominæ teneras adpetet ungue genas» et Am. I. 7, 49—50: «At nunc sustinui, raptis a fronte capillis, Ferreus ingenuas ungue notare genas» sc. amicæ. — *obtusa,* manibus aut pugnis verberata; cf. Plaut. Cas. V. 1, 8: «obtuso ore» et ibid. V. 2, 50: «obtundit os mihi». Ceterum *obtusa* est mea coniectura; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *sed victor et ipse Flet sibi dementes tam valuisse manus,* cf. infra II. 5, 101—103: «Ingeret hic potus iuvenis maledicta puellæ, Postmodo quæ votis irrita facta velit: Nam ferus ille suæ plorabit sobrius idem». Hoc argumentum tractat Ov. Am. I. 7. — *rixæ mala verba ministrat,* Amor delectatur prœliis amantium et nova rixæ alimenta suggerit. — *Inter et iratum lentus utrumque sedet,* cf. Prop. II. 14, 4: «Nec mihi ploranti lenta sedere potest» et Ov. Am. III. 6, 60: «Ille habet et silices et vivum in pectore ferrum, Qui tenero lacrimas lentus in ore

videt». Poeta ante oculos habuisse videtur tabulam, ubi Amor pictus erat inter duos amantes sedens. — *lentus,* nihil commotus, ut Hor. Carm. IV. 13, 5—6: «cantu tremulo pota Cupidinem Lentum sollicitas».

V. 59—64. *lapis est ferrumque,* de homine crudeli, ut I. 1, 63—64: «non tua sunt duro præcordia ferro Vincta nec in tenero stat tibi corde silex». — *e cælo deripit ille deos,* ut olim Gigantes voluerunt; proverbialis locutio de facinore impio. Cf. Ov. Am. I. 7, 5—7: «Flet mea vesana læsa puella manu. Tunc ego vel caros potui violare parentes, Sæva vel in sanctos verbera ferre deos». — *Sit satis* etc., locum imitatur Ov. Am. I. 7, 45—48: «Nonne satis fuerat timidæ inclamasse puellæ Nec nimium rigidas intonuisse minas, Aut tunicam summa deducere turpiter ora Ad mediam?» — *e membris tenuem rescindere vestem,* ut Prop. III. 8, 8: «Fac mea rescisso pectora nuda sinu» et II. 5, 21: «Nec tibi periuro scindam de corpore vestem». — *ornatus . . . comæ,* capillos bene pexos. — *quater ille beatus, Quo tenera irato flere puella potest,* quem puella tantopere amat, ut iram eius non ulciscatur ira, sed tantum fleat. Locum imitatur Ov. A. A. II. 448: «O quater et quotiens numero comprendere non est Felicem, de quo læsa puella dolet».

V. 65—68. *Sed manibus qui sævus erit* etc., cf. de rixis amantium Prop. II. 5, 25—26: «Rusticus hæc aliquis tam turpia prœlia quærat, Cuius non hederæ circuiere caput». — *scutumque sudemque Is gerat,* sit miles; Romani enim milites præter arma etiam sudes (vallos) secum ferebant ad muniendum; cf. Hor. Epod. 9, 13: «Fert vallum et arma miles». *Sudis* pro vallo, ut Cæs. Bell. civ. I. 27: «Fossas transversas viis præducit atque ibi sudes stipitesque præacutos defigit» et Bel. gal. V. 18: «Ripa acutis sudibus

præfixis munita». — *miti . . . Venere,* ut infra II. 3, 71—72: «præbebat aperte Mitis in umbrosa gaudia valle Venus». — *At nobis, Pax alma, veni spicamque teneto,* ut II. 1, 3—4: «Bacche, veni, dulcisque tuis e cornibus uva Pendeat et spicis tempora cinge, Ceres». — *spicamque teneto, Profluat et pomis candidus ante sinus,* ut in nummis dea Pax sæpe conspicitur spicam manu tenens, gremio pomis onusto; cf. Cæs. Germ. Arat. 95—96. de sidere Virginis: «Virginis inde subest facies, cui plena sinistra Fulget spica manu maturisque ardet aristis». — *Profluat . . . pomis.* i. e. poma profluant sive effluant ex sinu; nam sinus vestis non capit copiam pomorum, ita ut pars decidat; cf. Catull. 65, 19—20: «Ut missum sponsi furtivo munere malum Procurrit casto virginis e gremio». Ceterum *profluat* est coniectura Vossii; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *candidus . . . sinus,* cf. supra adn. ad vs. 45: «Pax candida».

DELIA.

I.

Lib. I. eleg. 3.

Introductio. Poeta, qui Messallam in Orientem proficiscentem sequi voluit, morbo in Corcyra insula remanere coactus mortem in peregrina terra deprecatur (1—9). Narrat angores Deliæ, amicæ suæ, quæ, cum amator eius urbem relinquere vellet, diversis modis deos consuluit (10—14). Tibullus et ipse tristi animo iter ingressus est nuncque eum Amore invito discessisse pænitet (15—22). Incusat deam Isidem, quod pro pietate nullam rettulerit Deliæ gratiam morbo ab amatore defenso rogatque, ut nunc saltem succurrat sibi (23—32). Laudat aureæ ætatis securitatem et regno Iovis periculis pleno opponit (35—50). Orat Iovem, ut servetur; si tamen mori cogatur, inscriptione sepulcri testari vult mortis causam fidelem erga Messallam animum fuisse (51—56). Interea consolatur se rerum infernarum cogitatione: in Elysium se venturum sperat sedemque beatorum describit (57—66). Elysio opponit Tartarum optans, ut inimici, qui fidem Deliæ labefactare voluerint, eo deveniant (67—82). In fine oblitus periculi reditus spem concipit proponitque animo diem illum felicem, quo in urbem reversus et ad Deliam intrans eam obviam currentem habiturus sit (83—94).

M. Valerius Messalla Corvinus, fautor Tibulli, erat Augusto imperante inter principes civitatis, a. 31. a. Chr. n. consul. Interfuit bello Actiaco, deinde contra Aquitanos rebellantes missus eos devicit, quo in bello in cohorte prætoria secum habuit Tibullum. A. 30. in Orientem profectus Ciliciam et Syriam pacavit; a. 27. in urbem reversus triumphum egit.

Amica Tibulli, quam poeta ficto nomine Deliam appellat, erat libertina (cf. I. 6, 67—68.); verum eius nomen Hostia fuit; cf. Apul. Apol. 10: «accusent . . . Tibullum, quod ei sit Plania in animo, Delia in versu».

Scripta est elegia a. 30., cum Tibullus Messallam in Orientem abiturum sequi vellet.*

V. 1—4. *Ibitis . . . Messalla*, sc. tu, Messalla, et comites tui. — *Aegæas . . . per undas*, videtur Messalla in portu quodam maris Aegæi, ad Octavianum in Aegyptum navigaturus, Tibullum exspectasse. — *O utinam memores*, supple: eatis. — *ipse cohorsque*, iure optat, ut sui memores sint, nam paulo ante in Aquitania merens amicitiam imperatoris et contubernalium sibi conciliavit. — *cohorsque*, cohors prætoria, comitatus ducis. — *Me tenet ignotis ægrum Phæacia terris*, videtur Tibullus Roma (cf. infra vs. 9.) Brundisium profectus esse, deinde solito cursu navigasse usque ad Corcyram, quæ prima statio erat ex Italia in Græciam navigantibus, et ibi gravi morbo correptus remansisse. — *tenet*, retinet. — *ignotis . . . Phæacia terris*, ad hunc locum alludit Ov. Am. III. 9, 47—48. in epicedio Tibulli: «Sed tamen hoc melius, quam si Phæacia tellus Ignotum vili supposuisset humo». — *Phæacia*, Corcyra, in qua Σχερίαν Homericam, Phæacum sedem, agnoscere sibi

* Cf. infra Excurs. II. et III.

videbantur antiqui. — *avidas . . . manus*, quia mors rapax est, ut infra vs. 65. Manus mortis, ut Ovidius in epicedio Tibulli ad hunc ipsum locum alludens (Am. III. 9, 20.) dicit de morte: «Omnibus obscuras inicit illa manus». — *Mors . . . nigra*, atra aut nigra vocantur omnia, quæ ad inferos pertinent, ut Lygd. 5, 5: «At mihi Persephone nigram denuntiat horam», ubi Tibullum ante oculos habuit; cf. Lygd. 5, 1—6. et Tib. I. 3, 1—4. — *modo*, cum coniunctivo adhortativo iunctum, ut Lygd. 6, 9: «Vos modo proposito dulces faveatis amici».

V. 5—8. *Mors atra*, ut supra I. 10, 33: «atram mortem». — *non hic mihi mater* etc., huc alludit Ov. Am. III. 9, 49—52. de Tibullo mortuo: «Hinc certe madidos fugientis pressit ocellos Mater et in cineres ultima dona tulit: Hinc soror in partem misera cum matre doloris Venit inornatas dilaniata comas». — *Quæ legat in mæstos ossa perusta sinus*, hunc locum imitatur Lygd. 2, 17—18: «Pars quæ sola mei superabit corporis, ossa Incinctæ nigra candida veste legent». — *legat . . . ossa*, ossa mortui, quæ ignis in rogo non consumpsit, colligebant propinqui, quod erat pium officium vocabaturque ossilegium. — *in mæstos . . . sinus*, in sinum vestis lugubris, i. e. nigræ; cf. Lygd. locum supra laud. — *ossa perusta*, ut Ov. Fast. V. 454: «Spargebant lacrimis ossa perusta suis». — *Assyrios cineri quæ reddat odores*, cineribus mortui, antequam sepelirentur, suaves odores miscebantur, quos etiam Lygd. 2, 23—24. in descriptione funeris commemorat: «quos mittit dives Panchaia merces Eoique Arabes, pinguis et Assyria» et Ov. Trist. III. 3, 65. et 69—70: «Ossa tamen facito parva referantur in urna . . . Atque ea cum foliis et amomi pulvere misce Inque suburbano condita pone solo». — *cineri . . . reddat odores*, ut infra vs. 34: «Reddereque antiquo men-

strua tura Lari». Ceterum *reddat* est mea coniectura; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *Assyrios . . . odores,* cf. Catull. 68. 144: «Fragrantem Assyrio venit odore domum». *Assyrios,* i. e. Syrios, nam odores Orientis ex Syria Romam advehebantur, unde Propertius de odoribus mortuo dandis II. 13, 30: «Cum dabitur Syrio munere plenus onyx» et idem I. 2, 3. murram Arabicam (cf. Plin. N. H. XII. 66: «murra multis locis Arabiæ gignitur») Oronteam (i. e. Syriam) nominat ab Oronte, fluvio Syriæ. Assyria et Syria sæpe confunduntur apud scriptores Romanos, ut Cic. De fin. II. 106. Sardanapallum appellat regem *Syriæ,* Seneca autem Herc. Oet. 553. Europam, filiam Agenoris, regis Tyrii, puellam *Assyriam;* Plin. N. H. V. 66. dicit olim Syriæ adnumeratas fuisse Babyloniam et Assyriam. — *E: fleat effusis ante sepulcra comis,* locum imitatur Lygd. 2, 11—12: «Ante meum veniat longos incompta capillos Et fleat ante meum mæsta Neæra rogum» et Ov. Fast. VI. 514 «Thyiades effusis per sua colla comis»; cf. etiam Prop. III. 13, 18: «Uxorum fusis stat pia turba comis». — *effusis . . . comis,* quod erat signum luctus, ut Verg. Aen. III. 65. de lugentibus: «Et circum Iliades crinem de more solutæ».

V. 9—14. *mitteret,* dimitteret, ut Catull. 66, 29: «Sed tum mæsta virum mittens quæ verba locuta es?» — *ante,* adverbium: prius. — *consuluisse deos,* sc. de reditu Tibulli. — *Illa sacras pueri sortes ter sustulit,* Romæ in circo maximo et in foro frequentes erant vates, quos vulgus superstitiosum consulebat; Cic. De div. I. 58, 132. commemorat: «de circo astrologos» et Hor. Sat. I. 6, 113—114: «Fallacem circum vespertinumque pererro Sæpe forum, adsisto divinis»; ad sortilegos in circo alludit Iuv. Sat. VI. 582—583. de muliere superstitiosa: «Si mediocris erit, spatium transibit utrimque Metarum et sortes ducet»; de anu

sortilega Hor. Sat. I. 9, 29—30: «Sabella Quod puero cecinit divina mota anus urna». His vatibus est adnumerandus etiam puer sortilegus Deliæ. — *sortes,* cf. adn. supra ad I. 8, 3. — *sustulit,* proprie dicitur de sortibus ex arca ductis, ut Cic. De div. II. 86: «sortes, quæ hodie Fortunæ monitu tolluntur». — *e triviis,* epitheti modo iungendum cum *puer,* i. e. puer, qui in triviis vaticinari solet; cf. infra adn. ad I. 5, 57: «e triviis» et Cic. De div. I. 58, 132: «de circo astrologi». — *omnia certa,* i. e. puer Deliæ omnes sortes ita interpretatus est, ut eæ certum Tibulli reditum portenderent. Ceterum *omnia* est lectio codicis Ambrosiani et Vaticani; perperam alii legunt: *omina,* nam oraculum sortis non vocatur omen. Cf. Cic. De div. II. 83. et 85., ubi sortes et omina optime discernuntur. — *est deterrita nunquam,* insolenter dictum: oracula certum reditum spondentia non potuerunt eam impedire, ne etc. — *nostras despueretque vias,* puella superstitiosa, quoties itineris mentio facta est, despuit ad malum omen avertendum; cf. Plaut. Asin. 40: «teque obsecro hercle, ut, quæ locutus es (i. e. verba mali ominis), despuas». De more ad mala averruncanda despuendi cf. adn. infra ad I. 2, 54: «ter dictis despue carminibus» et I. 2, 96: «Despuit in molles et sibi quisque sinus». — *despueretque.* ex coniectura Hauptii; cf. infra adn. crit. ad h. l.

V. 15—22. *mandata dedissem,* quod abeuntes facere solent, ut Ov. Trist. I. 3, 89. in exilium abiturus: «Sæpe eadem mandata dedi meque ipse fefelli» et Her. 15, 105: «Non mandata dedi, neque enim mandata dedissem». — *Quærebam . . . moras,* ut Ov. Met. XI. 461. de Ceyce uxorem Alcyonen relinquente: «Quærente mores Ceyce». — *Aut ego sum causatus aves, dant omina dira,* ut Prop. IV. 4, 23: «Sæpe illa immeritæ causata est omina lunæ»;

Ov. Met. IX. 767—768: «omina sæpe Visaque causatur». — *dant omina dira,* parenthesis; cf. Petron. Sat. 122. vss. 177—178: «de cælo Delphicus ales Omina læta dedit»; Prop. II. 28, 38: «funestum concinit omen avis»; Hor. Carm. III. 26, 1—2. de impiis iter facturis: «Impios parræ recinentis omen Ducat». — *Saturnive sacram me tenuisse diem,* intellege sabbata Iudæorum, quibus hoc die iter ingredi non licet. Sabbata autem multi celebrabant Romæ Iudæorum sectatores; cf. Hor. Sat. I. 9, 68—69: «meliori Tempore dicam: hodie tricesima sabbata»; Ov. A. A. I. 75—76: «Nec te prætereat Veneri ploratus Adonis Cultaque Iudæo septima sacra Syro» et Rem. 219—220: «nec te peregrina morentur Sabbata». — *Saturnive . . . diem,* est subiectum sententiæ. — *tenuisse,* retinuisse; vides Tibullum non cum Messalla, sed solum ab urbe profectum; nam, si comes fuisset imperatoris, non potuisset iter differre. — *Offensum in porta signa dedisse pedem,* pedis offensionem inter mala omina commemorat etiam Cic. De div. II. 84; cf. Ov. Am. I. 12, 3. sqq.: «Omina sunt aliquid: modo cum discedere vellet, Ad limen digitos restitit icta Nape: Missa foras iterum limen transire memento Cautius atque alte sobria ferre pedem» et Met. X. 452: «Ter pedis offensi signo est revocata». — *sciet,* sc. damno suo doctus. Ceterum *sciet* est coniectura Dœringii; cf. infra adn. crit. ad h. l.

V. 23—26. *Quid tua nunc* etc., ad hunc locum alludit Ov. Am. III. 9, 33—34: «Quid vos sacra iuvant, quid nunc Aegyptia prosunt Sistra, quid in vacuo secubuisse toro?» — *Isis,* dea Aegyptia, a mulieribus Romanis iam inde a Sullanis temporibus præcipue culta. — *æra repulsa,* pulsata; intellege sistra in sacris Isidis usitata, quæ sacerdotes et cultores deæ ad certos modos quassare solebant. Sonitum

edebant virgæ æreæ mobiles, quæ sistro quassato laminam æream pulsabant; vide figuram apud *Rich:* Illustr. Wörterbuch, s. v. Formam sistri copiose describit Plutarch. De Iside 63. (Mor. 376. c.) Cf. etiam adn. ad I. 8, 22. — *sacra colis*, sc. sacra Isidis. — *pureque lavari,* quod facere debebant omnes, qui ad sacra accedebant; cf. infra IV. 6, 3. de Sulpicia Iunoni sacrificante: «Lota tibi est hodie». *Pure,* sensu religioso, ut Liv. V. 22: «pure lautis corporibus» et XXXIX. 11: «pure lautum»; Paul. Fest. s. v. (p. 327. ed. Thewrewk): «Pure lautum, aqua pura lavatum» i. e. flumine vivo, aqua ex fonte aut fluvio petita, qua homines ad sacra accedentes et vasa in sacris usitata lavabantur. — *puro secubuisse toro,* mulieres festis Isidis per certum tempus sine viris dormire debebant, unde crebri poetarum eroticorum in deam questus, ut Prop. II. 33, 1—2: «Tristia iam redeunt iterum sollemnia nobis: Cynthia iam noctes est operata decem». *Secubuisse,* ut Ov. Am. III. 10, 2: «Secubat in vacuo sola puella toro» et II. 19, 42: «Cur totiens vacuo secubat ipsa toro». *Puro,* per concubitum non inquinato.

V. 27—32. *posse mederi Picta docet templis multa tabella tuis,* qui Isidis ope e morbo reconvaluerunt, suspendebant in templo deæ tabulas ex voto pictas, quæ reddebant imaginem hominis aut partis corporis sanatæ cum inscriptione, unde Iuv. Sat. 12, 28: «pictores quis nescit ab Iside pasci?» — *posse mederi,* supple: posse te mederi, ut infra II. 6, 13: «Iuravi quotiens rediturum (sc. me) ad limina nunquam». — *multa tabella,* numerus singularis, ut Ov. Fast. III. 268: «Et posita est meritæ multa tabella deæ». — *votivas persolvens Delia voces Ante sacras lino tecta fores sedeat,* Delia vovit se post felicem Tibulli reditum per certum tempus ante fores templi sedentem precibus gratias

acturam esse deæ bisque die, mane et vesperi, cum sollemnia sacra fierent, una cum ceteris deæ cultoribus hymnos cantaturam. — *votivas . . . voces,* preces, quibus Delia gratias deæ se acturam vovit. — *lino tecta,* cuius usus erat in sacris Isidis: tales enim vestes gerebat ipsa dea, tum sacerdotes et cultores eius, unde Isis Ov. Ex Pont. I. 1, 51—52. *linigera,* Met. I. 747. cultores eius *linigera turba* vocantur. — *sedeat,* sc. humi, ut supplicantes solent, ut infra II. 6, 33: «Illius ad tumulum fugiam supplexque sedebo» et IV. 13, 23: «Sed Veneris sanctæ considam vinctus ad aras»; cf. Ov. Am. II. 13, 17. de Iside: «Sæpe tibi sedit certis operata diebus» et A. A. III. 635: «Cum sedeat Phariæ sistris operata iuvencæ» et Ex Pont. I. 1, 51—52: «Vidi ego linigeræ numen violasse fatentem Isidis Isiacos ante sedere focos». Etiam Cynthia Propertii, cum gravi morbo laboraret, ante Iovis aram se sessuram gratiasque deo acturam esse vovit; cf. Prop. II. 28, 45—46: «Ante tuosque pedes illa ipsa operata sedebit Narrabitque sedens longa pericla sua». — *bisque die,* mane et vesperi, ut etiam aliorum deorum in cultu moris erat; cf. Hor. Carm. IV. 1, 25—27. de Venere: «Illic bis pueri die Numen cum teneris virginibus tuum Laudantes». — *resoluta comas,* nam nihil nexi et vincti in sacris esse licebat, quare ii, qui deos adorabant, tunicas solvebant, feminæ etiam crines; cf. infra I. 5, 15—16: «Ipse ego velatus filo tunicisque solutis Vota novem Triviæ nocte silente dedi» et Ov. Met. VII. 182—183. de Medea Hecaten adorante: «Egreditur tectis vestes induta recinctas, Nuda pedem, nudos humeris infusa capillos». — *dicere laudes,* cantare hymnos. — *Insignis,* sc. pulchritudine. — *turba in Pharia,* inter Aegyptios Isidis sacerdotes et cultores; *Pharia,* a Pharo, insula ad Alexandriam sita, significat per metony-

miam Aegyptum. Ipsa Isis sæpe vocatur Pharia, ut Ov. Fast. V. 619. et A. A. III. 635; Min. Fel. 21, 2. — *debeat,* sc. ex voto.

V. 33—34. *patrios celebrare Penates,* post felicem reditum domi manere et Penates meos religiose colere; versum imitatur Ov. Trist. V. 8, 9: «Et parvam celebrare domum veteresque Penates». — *celebrare,* religiose colere, ut Ov. Fast. II. 639—640: «Nox ubi transierit, solito celebretur honore, Separat indicio qui deus arva suo». — *antiquo ... Lari,* cf. supra I. 10, 17—18: «Neu pudeat prisco vos (sc. Lares) esse e stipite factos, Sic veteris sedes incoluistis avi». — *menstrua tura,* sacrificabant Laribus mensis cuiusque Kalendis; cf. Hor. Carm. III. 23, 1—4: «Cælo supinas si tuleris manus Nascente luna, rustica Phidyle, Si ture placabis et horna Fruge Lares»; Prop. IV. 3, 53: «raris adsueta Kalendis Vix aperit clausos una puella Lares».

V. 35—40. *Tellus in longas est patefacta vias,* nam aurea ætate non fecerunt itinera homines; locum imitatur Ov. Am. II. 16, 76: «In longas orbem qui secuere vias» et ibid. vs. 18: «Si fuit in longas terra secanda vias». — *in longas . . . vias,* ad longa itinera facienda; *in* enim hoc loco propositum significat. — *Nondum cæruleas pinus conscenderat undas,* locum imitatur Ov. Met, I. 94—95: «Nondum cæsa suis, peregrinum ut viseret orbem, Montibus in liquidas pinus descenderat undas». Cf. etiam Verg. Aen. I. 381: «Bis denis Phrygium conscendi navibus æquor». — *Effusum . . . sinum,* sc. sinum velorum, ut Ov. A. A. III. 500: «Plenaque curvato pandere vela sinu» et Prop. III. 9, 30: «Velorum plenos subtrahis ipse sinus». Cf. etiam Verg. Aen. III. 455., V. 16. et 381. — *præbueratque,* coniunctio *-que* post tertium sententiæ verbum; cf. adn. supra ad I. 10, 51: «Rusticus e lucoque». —

vagus . . . navita, ut Hor. A. P. 117: «mercator vagus» et Manil. I. 87: «navita vagus». — *Presserat . . . ratem,* oneraverat, ut Verg. Ge. I. 303: «Ceu pressæ cum iam portum tetigere carinæ».

V. 41—48. *non fixus in agris,* sc. est lapis. Cf. Ov. Am. III. 8, 42: «Signabat nullo limite mensor humum» et Verg. Ge. I. 125—127: «Ante Iovem nulli subigebant arva coloni, Ne signare quidem aut partiri limite campum Mos erat». — *regeret certis finibus arva,* definiret, dirigeret, ut Cic. Mur. 9, 22: «ille exercitatus est in propagandis, tu in regendis finibus.» — *lapis,* sc. terminus. — *Ipsæ mella dabant quercus,* credebant antiqui mel in modum roris ex aëre in flores et in folia arborum descendere et ab apibus sorberi, sed aurea ætate adeo fuisse purum, ut foliis destillans sine labore apium posset comedi; cf. Plin. N. H. XI. 12: «Venit hoc (sc. mel) ex aëre . . . itaque tum prima aurora folia arborum melle roscida inveniuntur . . . utinamque esset purus ac liquidus et suæ naturæ, qualis defluxit primo»; Verg. Ge. IV. 1: «aërii mellis cælestia dona» et IV. 131. de regno Iovis: «Mellaque decussit foliis». Huc pertinent etiam Verg. Ecl. IV. 30: «Et duræ quercus sudabunt roscida mella» et Ov. Met. I. 112: «Flavaque de viridi stillabant ilice mella». Alii autem poetæ in descriptione aureæ ætatis de melle apum ferarum ex cavo quercus manante cogitant, ut Hor. Epod. 16, 47: «Mella cava menant ex ilice» et Ov. Am. III. 8, 40: «in quercu mella reperta cava». *Ipsæ* quercus, i. e. sine labore apium et hominum. — *ultroque ferebant Obvia securis ubera lactis oves,* ut Hor. Epod. 16, 49—50: «Illic iniussæ veniunt ad mulctra capellæ Refertque tenta grex amicus ubera» et Verg. Ecl. IV. 21—22: «Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ Ubera». — *securis,* ut supra I. 10, 10: «Securus sparsas dux gregis

inter oves»; cf. adn. ad h. l. — *ubera lactis*, lacte plena. — *non ira fuit, non bella, nec ensem* etc., ut Hor. Carm. IV. 15, 19—20: «Non ira, quæ procudit enses Et miseras inimicat urbes». — *nec ensem Immiti sævus duxerat arte faber*, ut Verg. Ge. II. 539—540. de ætate aurea: «audierant . . . necdum Impositos duris crepitare incudibus enses». — *duxerat*, dicitur de rebus, quæ procuduntur ex materia lenta, ut Verg. Aen. VII. 633—634: «alii thoracas aënos Aut leves ocreas lento ducunt argento». Idem significat *extendere* apud Iuv. Sat. XV. 168: «Nescierint primi gladios extendere fabri».

V. 49—52. *Nunc Iove sub domino cædes et vulnera semper*, ut supra I. 10, 3: «Tum cædes hominum generi, tum prœlia nata». — *mare*, navigatio marina. — *leti mille repente viæ*, ut I. 10, 4: «brevior diræ mortis aperta via est». — *repente viæ*, repentinæ viæ; adverbium pro adiectivo, ut infra II. 5, 53: «Concubitusque tuos furtim» i. e. furtivos. *Repente* simili usu occurrit apud Liv. I. 13, 6: «Ex bello tam tristi læta repente pax cariores Sabinas viris ac parentibus . . . fecit» et XXII. 17, 3: «Quo repente discursu haud secus quam silvis montibusque accensis omnia circa virgulta ardere». — *pater*, sc. Iuppiter. — *timidum non me periuria terrent*, si timeo, morbus me terret, non periuria commissa; versum imitatur Lygd. 5, 12: «Nec cor sollicitant facta nefanda meum». — *timidum . . . terrent*, cf. Prop. III. 8, 15: «timidam crebro dementia somnia terrent» et Verg. Aen. XII. 875—876; «ne me terrete timentem Obscenæ volucres». — *Non dicta in sanctos impia verba deos*, ut infra IV. 4, 14: «Dicit in æternos aspera verba deos»; versum imitatur Lygd. 4, 16: «Nec læsit magnos impia lingua deos» et 5, 13—14: «Nec nos insanæ meditantes iurgia mentis Impia in adversos solvimus ora deos».

V. 53—56. *fatales . . . annos*, fato mihi datos. — *Fac . . . stet*, Iovem alloquitur; cf. Prop. III. 16, 25: «Di faciant, mea ne terra locet ossa frequenti». — *inscriptis . . . notis*, litteris, ut Ov. Ex Pont. III. 2, 90: «Ad fratrem scriptas exarat ille notas» et Trist. III. 3, 72: «Grandibus in tituli marmore cæde notis». — *Hic iacet*, solita in titulis sepulcrorum formula, ut Ov. Trist. III. 3, 73: «Hic ego qui iaceo» et Lygd. 2, 29: «Lygdamus hic situs est». — *terra dum sequiturque mari*, dum terra marique sequitur; de insolita coniunctionis *-que* collocatione cf. adn. supra ad I. 4, 2: «Ne capiti soles ne noceantque nives».

V. 57—62. *facilis tenero sum semper Amori*, obsequiosus, ut infra I. 2, 97—98: «At mihi parce, Venus: semper tibi dedita servit Mens mea». — *Ipsa Venus campos ducet in Elysios*, ad hunc locum alludit Ov. Am. III. 9, 60: «in Elysia valle Tibullus erit». — *Ipsa Venus*, non, ut vulgo, Mercurius ψυχοπομπός. — *Hic choreæ cantusque vigent*, ut Verg. Aen. VI. 644. de Elysio: «Pars pedibus plaudunt choreas et carmina dicunt». — *choreæ*, syllaba pænultima brevis est, ut Verg. Aen. VI. 644; vulgo longa, ut Græce χορεία. — *vigent*, diuturnitatem lætitiæ significat. — *Dulce sonant tenui gutture carmen aves*, versum imitatur Ov. Am. I. 13, 8: «Et liquidum tenui gutture cantat avis». — *tenui gutture*, angusta, ut Verg. Ecl. 1, 2: «Silvestrem tenui Musam meditaris avena» et 6, 8: «Agrestem tenui meditabor arundine Musam». — *casiam*, frutex odoratus ex Aethiopia; cf. Plin. N. H. XII. 86: «cinnamomum idemque cinnamum nascitur in Aethiopia» et 95: «Frutex et casia est iuxtaque cinnami campos nascitur». — *non culta seges*, ager, ut Hor. Ep. II. 2, 161: «Cum segetes occat tibi mox frumenta daturas»; Tibullum imitari videtur Claudian. De Nupt. Hon. et Marc. 94: «Hic casiæ matura

seges». — *seges,* de fruticibus odoratis, ut infra IV. 2, 18: «Cultor odoratæ dives Arabs segetis». — *Floret odoratis terra benigna rosis,* ut Prop. IV. 7, 60: «Mulcet ubi Elysias terra benigna rosas». — *terra benigna,* fertilis.

V. 63—66. *prœlia miscet Amor,* ut supra I. 10, 53: «Sed Veneris tunc bella calent». — *cuicumque rapax mors venit amanti,* cf. Verg. Aen. VI. 442—444. de amantibus in Orco: «Hic quos durus amor crudeli tabe peredit, Secreti celant colles et myrtea circum Silva tegit». — *insigni . . . coma,* quia sertis ornata est. — *myrtea serta,* quia myrtus Veneri sacra est; cf. Verg. Ecl. 7, 61—62: «Populus Alcidæ gratissima, vitis Iaccho, Formosæ myrtus Veneri, sua laurea Phœbo».

V. 67—72. *scelerata . . . sedes,* sc. sceleratorum, Tartarus; cf. Ov. Met. IV. 456: «sedes scelerata vocatur». — *in nocte profunda,* ut Verg. Aen. IV. 26: «Pallentes umbras Erebi noctemque profundam». — *quam circum flumina nigra sonant,* cf. Verg. Aen. VI. 550—551. de mœnibus Tartari: «Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis Tartareus Phlegethon torquetque sonantia saxa». — *Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues Sævit et huc illuc impia turba fugit,* Tisiphone furia punit scelestos in Tartaro etiam Verg. Aen. VI. 570—572: «Continuo sontes ultrix accensa flagello Tisiphone quatit insultans torvosque sinistra Intentans angues vocat agmina sæva sororum». — *impexa feros pro crinibus angues,* quæ pro crinibus angues in capite habet, quæ non crinibus, sed anguibus horret; cf. Verg. Aen. VI. 419. de Cerbero: «horrere videns iam colla colubris»; Ov. Met. X. 349: «Nec metuas atro crinitas angue sorores» et Met. IV. 454: «Deque suis atros pectebant crinibus angues» sc. Furiæ; Prop. III. 5, 40:

«Tisiphones atro si furit angue caput». — *impexa feros . . . angues,* accusativus respectivus sive Græcus, ut Lygd. 2, 11: «incompta capillos» et Verg. Ge. IV. 482—483: «cæruleosque implexæ crinibus angues Eumenides». Contrarium dicit Pseudo-Verg. Cul. 218: «Tisiphone serpentibus undique compta». — *in porta . . . Cerberus,* Cerberus igitur hoc loco Tartari portam custodit, non totum Orcum, ut Verg. Aen. VI. 417. sqq. — *serpentum Cerberus ore Stridet,* cf. Hor. Carm. III. 11, 17—18: «Cerberus, quamvis furiale centum Muniant angues caput eius» et Lygd. 4, 87: «Nec canis anguinea redimitus terga caterva». — *stridet,* unde apud Sil. It. VI. 177: «stridor Cerbereus» — *æratas excubat ante fores,* iam apud Hom. Il. VIII. 15: Ἔνθα σιδήρειαί τε πύλαι καὶ χάλκεος οὐδός; Verg. Aen. VI. 552. de porta Tartari: «Porta adversa ingens solidoque adamante columnæ».

V. 73—80. *Iunonem temptare,* Iunonis amplexu frui voluit. — *Porrectusque novem Tityos per iugera terræ Adsiduas atro viscere pascit aves,* Latonæ vim afferre voluit; pœnam eius describit Hom. Od. XI. 576. sqq.: Καὶ Τιτυὸν εἶδον, Γαίης ἐρικυδέος υἱόν, Κείμενον ἐν δαπέδῳ, ὁ δ' ἐπ' ἐννέα κεῖτο πέλεθρα, Γῦπε δέ μιν ἑκάτερθε παρημένω ἧπαρ ἔκειρον et vs. 580: Λητὼ γὰρ ἥλκησε, Διὸς κυδρὴν παράκοιτιν. — *adsiduas . . . pascit aves,* adiectivum pro adverbio: adsidue pascit, ut Ov. Ib. 181—182: «Iugeribusque novem summus qui distat ab imo Visceraque adsiduæ debita præbet avi» et Hor. Carm. III. 4, 77—78: «Incontinentis nec Tityi iecur Relinquit ales». — *atro viscere,* iecore. — *Tantalus,* filium suum, Pelopem, diis epulandum apposuit; cf. adn. supra ad I. 4, 64. — *circum,* adverbium. — *stagna,* ut Hom. Ov. XI. 583. de Tantalo: ἑσταότ' ἐν λίμνῃ. — *Iam iam poturi deserit unda sitim,* locum ante oculos habuisse

videtur Prop. II. 17, 5—6: «Vel tu Tantalea moveare ad flumina sorte, Ut liquor arenti fallat ab ore sitim». — *Danai proles,* filiæ Danai, Danaides. — *Veneris quod numina læsit,* sponsos suos, filios Aegypti, patris iussu necaverunt. — *in cava . . . dolia,* cavata, perforata, πίθος τετρημένος, ut Plat. Gorg. p. 493. B. Cf. Ov. A. A. I. 432: «Elapsusque cava fingitur aure lapis» et Met. XII. 130: «parmam gladio galeamque cavari Cernit». — *Lethæas . . . aquas,* infernas, ut Lygd. 3, 10: «Lethæa ratis» et Anth. Pal. IX. 279. Ληθαίη ἄκατος de nave Charontis, qui non in fluvio Lethes navigavit; Simonid. Anth. Pal. VII. 25: λείπων ἠέλιον Λήθης ἐνθάδ' ἔκυρσε δόμων, ubi agitur de domo Orci et Stat. Theb. VI. 476. de Cerbero: «ianitor atræ Impavidus Lethes». Lethe igitur his locis per metonymiam totum Orcum significat.

V. 81—82. *meos violavit amores,* qui puellam meam tangere ausus est; cf. infra I. 6, 51—53: «Parcite, quam custodit Amor, *violare* puellam, Ne pigeat magno post didicisse malo. *Attigerit,* labentur opes». — *meos . . . amores,* meam puellam, i. e. Deliam; cf. adn. infra ad I. 6, 35: «amores». — *lentas . . . militias,* alludit ad bellum Aquitanicum et ad expeditionem Messallæ orientalem, ad quam proficiscens morbo correptus est. — *lentas,* diuturnas, ut Hor. Ep. I. 2, 7 et II. 2, 98: «lento duello».

V. 83—88. *casta,* mihi fidelis, ut I. 6, 67. de Delia: «Sit modo casta». — *sedula . . . anus,* mater Deliæ, de qua infra I. 6, 57—58: «Non ego te propter parco tibi, sed tua mater Me movet atque iras aurea vincit anus» et 67: «Sit modo casta (sc. Delia), doce». — *fabellas referat,* ut anus solent; cf. Ov. Met. IV. 40. et Verg. Ge. IV. 345. et Hor. Sat. II. 6, 77—78: «garrit aniles Ex re fabellas». — *positaque lucerna,* apposita, ut Ov. Her. 19, 151: «Sternuit et

lumen: posito nam scribimus illo». — *Deducat plena stamina longa colu,* neat; cf. Ov. Her. 9, 77: «Crassaque robusto deducis pollice fila». — *plena . . . colu,* ut Ov. Her. 3, 76: «Et minuent plenas stamina nostra colos» et Fast. III. 818: «plenas exonerare colos». — *circa gravibus pensis adfixa puella,* de domina inter ancillas nente cf. Prop. III. 6, 15—16. de Cynthia: «Tristis erat domus et tristes sua pensa ministræ Carpebant, medio nebat et ipsa loco» et Ov. Fast. II. 741—743. de Lucretia: «nebat, Ante torum calathi lanaque mollis erat: Lumen ad exiguum famulæ data pensa trahebant». — *gravibus pensis,* propter pondus. — *adfixa,* adsidens neque laborem interrumpens; cf. Ov. Met. IV. 32. sqq.: «solæ Minyeides intus Intempestiva turbantes festa Minerva Aut ducunt lanas aut stamina pollice versant Aut *hærent* telæ». — *puella,* pro plurali, ut præcedens *circa* docet; cf. infra I. 2, 95: «Hunc puer, hunc iuvenis turba circum terit arta» et II. 3, 44: «Portatur validis mille columna iugis».

V. 89—94. *cælo missus,* de eo, qui subito et non exspectatus venit, ut Liv. XXII. 29, 3: «se acies repente velut cælo demissa ostendit». Aliud significat infra IV. 13, 13: «Nunc licet e cælo mittatur amica Tibullo», ubi vide adn. — *nudato . . . pede,* relictis præ festinatione soleis. — *hunc illum nobis Aurora nitentem Luciferum roseis candida portet equis,* locum imitatur Ov. Am. II. 11, 55—56: «Hæc mihi quam primum cælo nitidissimus alto Lucifer admisso tempora portet equo» et Trist. III. 5, 55—56: «Hos utinam nitidi Solis prænuntius ortus Afferat admisso Lucifer albus equo» et Ex Pont. I. 4, 57: «Memnonis hanc utinam lenito principe mater Quam primum roseo provocet ore diem». — *hunc illum,* significantius, quam simplex *hic,* ut Verg. Aen. VII. 255—256: «Hunc

illum fatis externa ab sede profectum Portendi generum» et 272: «hunc illum poscere fata». — *Aurora . . . roseis . . . equis,* ut Ov. Am. I. 8, 34: «non illa parentem Memnonis in roseis sobria vidit equis» et Fast. IV. 714: «Memnonis in roseis lutea mater equis». Auroræ bigam aut quadrigam tribuunt poetæ, ut Verg. Aen. VII. 26: «Aurora in roseis fulgebat lutea bigis» et VI. 535: «roseis Aurora quadrigis». — *Luciferum,* stella matutina hoc loco diem significat; Tibullum imitantur Prop. II. 19, 28: «Venturum paucis me tibi Luciferis»; Ov. Fast. I. 46: «Non habet officii Lucifer omnis idem» et ibid. II. 150, 568; III. 772; VI. 211, 791.

II.

Lib. I. eleg. 1.

Introductio. Poeta divitias iis concedit, qui belli labores et pericula ferre non recusant; ipse contemptis opibus valedicit militiæ et ad otiosam vitam transire parat (1—6). In animo est ei agriculturæ operam dare et deos ruris religiose colere (7—24). Vivere vult in agello suo, parvo contentus et tutelæ deorum fidens (25—40). Non requirit divitias patrum, domi modo manere et amore amicæ frui possit (41—50). Messallæ belligeranti et gloriam sibi paranti opponit se vinculis puellæ constrictum nullaque gloria egentem (51—56). Deliam deinde alloquitur seque eam usque ad mortem fidelissime amaturum promittit (57—72). In fine redit primaria sententia: poeta non in Martis, sed in Veneris bellis militare prædaque aliis relicta aurea quodam mediocritate contentus esse vult (73—78).

Scripsit elegiam Tibullus post reditum e Corcyra ad

Messallam in Oriente belligerantem eo potissimum consilio, ut se, cur eum in bella non secutus esset, excusaret.*

V. 1—6. *Divitias alius fulvo sibi congerat auro,* locum imitatur Ov. Her. 17, 224: «Congestoque auri pondere dives ero». — *Divitias . . . fulvo . . . auro,* ablativus materiæ: divitias ex fulvo auro constantes, ut Verg. Aen. I. 167: «vivo sedilia saxo» et III. 286: «Aere cavo clipeus». — *fulvo . . . auro,* ut Ov. Ex Pont. III. 8, 3: «Dignus es argento, fulvo quoque dignior auro». — *Et teneat culti iugera multa soli,* contrarium dicit Ov. Fast. III. 192: «Iugeraque inculti pauca tenere soli»; Tibullum imitatur idem Ex Pont. IV. 9, 86: «Et teneat glacies iugera multa freti»; cf. Lygd. 3, 5: «Aut ut multa mei renovarent iugera tauri». — *teneat,* possideat, ut infra I. 2, 51: «Sola tenere malas Medeæ dicitur herbas». — *labor adsiduus,* cogitandum de laboribus militaribus, ut Cæs. B. G. VII. 41: «summis copiis castra oppugnata demonstrant, quum crebro integri defessis succederent nostrosque assiduo labore defatigarent» et Verg. Aen. XII. 727: «Quem damnet labor et quo vergat pondere letum». — *vicino terreat hoste,* locum imitatur Ov. Ex Pont. IV. 9, 82: «Et quam vicino terrear hoste, roga». — *vicino . . . hoste,* abl. instrumenti, iunge cum *terreat.* — *Martia cui somnos classica pulsa fugent,* poeta ante oculos habuisse videtur Hor. Epod. 2, 5: «Neque excitatur classico miles truci». — *classica pulsa,* cornua flatu pulsata. Classica dicuntur proprie signa bellica, quæ canuntur cornu; cf. Veget. 2, 22: «classicum appellatur, quod bucinatores per cornu dicunt»; hoc loco ipsum instrumentum significat, ut Verg. Ge. II. 539: «Necdum etiam audierant inflari classica»; cf. de hac significatione Ascon.

* Cf. infra Excurs. IV.

in Div. Verr. 17. et Serv. ad Aen. VII. 637: «classicum dicimus et tubam ipsam et sonum. Classicum autem est flexilis tuba» i. e. cornu». — *pulsa,* proprie dicitur de instrumentis, quæ chordis instructa sunt et plectro aut digitis pulsantur; hoc loco translatum ad instrumenta, quæ inflantur, ut Græce κρέκειν τὸν αὐλὸν Aristoph. Av. 682. Tibullum imitari videtur Claudian. De Cons. Theod. 313: «tibia flatu pulsanda». — *mea paupertas,* antiquo sensu, de quo Porphyr. ad. Hor. Ep. II. 2, 199: «paupertas etiam honestæ parsimoniæ nomen est et usurpatur in fortuna mediocri». Tibullus pauperem se nominat, quia comparat se cum ducibus immensam prædam bellicam congerentibus et quia patres eius, ut infra vss. 19. et 41—42. elucet, multo ditiores fuerunt; contra Horatius, qui minus habuit, in epistola ad Tibullum scripta divitias ei tribuit; cf. Hor. Ep. I. 4, 7: «Di tibi divitias dederunt artemque fruendi». — *vita traducat inerti,* ablativus viæ: per vitam inertem; cf. Cæs. B. C. II. 3, 1: «freto Siciliæ pervehi» et Liv. XXIII. 24, 7: «silva, qua exercitum traducturus erat». — *Dum meus adsiduo luceat igne focus,* ad hunc locum alludit Stat. Silv. I. 2, 255: «divesque foco lucente Tibullus»; cf. CIL. XIV. 2605. (Anth. Lat. II. 1. ed. Buecheler, n. 477): «Tum meus adsidue semper bene luxit, amice, focus». — *Dum,* dummodo. — *adsiduo . . . igne,* quia summæ paupertatis est focus exstinctus, ut Catull. 23, 1—2: «Furi, cui neque servus est neque arca Nec cimex neque araneus neque ignis». Focum perennem laudat etiam Martial. X. 47, 1. sqq.: «Vitam quæ faciant beatiorem . . . hæc sunt: focus perennis» etc.

V. 7—10. *Ipse seram teneras maturo tempore vites,* locum imitatur Propert. III. 17, 15: «Ipse seram vites pangamque ex ordine colles». — *teneras vites,* ut infra

I. 7, 33: «teneram palis adiungere vitem». Cf. adn. ad h. l. — *maturo tempore*, tempestive. — *Rusticus*, tamquam rusticus, ut infra vs. 56: «ianitor» et I. 5, 34: «ipsa ministra». — *facili . . . manu*, sollerti, ut Ov. A. A. I. 159—160: «fuit utile multis Pulvinum facili composuisse manu». — *poma*, pomos, nam arbores, non fructus arborum significat; altera forma infra II. 1, 43: «tum consita pomus». *Pomum* pro: pomus etiam apud Cat. De agr. 28: «Oleas, ulmos, ficos, *poma*, vites, pinos, cupressos cum seres» et Verg. Ge. II. 426—428: «Poma quoque, ut primum truncos sensere valentes Et vires habuere suas, ad sidera raptim Vi propria nituntur». — *Spes*, dea, ut ex sequentibus («frugum semper acervos *Præbeat*») elucet; cf. infra II. 6, 27—28: «Spes facilem Nemesim spondet mihi, sed negat illa. Ei mihi, ne vincas, dura puella, deam» et ibid. 21: «Spes alit agricolas». — *pleno . . . lacu*, receptaculum, ubi mustum expressum servabatur, antequam in dolia inderetur; cf. infra II. 3, 64: «Tu quoque devotos, Bacche, relinque lacus» et II. 5, 85—86: «Oblitus et musto feriet pede rusticus uvas, Dolia dum magni deficiantque lacus»; Cat. De agr. 113: «De lacu quam primum vinum in dolia indito . . . post dies XL diffundito in amphoras». — *pinguia musta*, non tenuia, sed densa, ex quibus bonum vinum fit; cf. Colum. De re rust. X. 432—433: «Ferveat ut lacus et multo completa Falerno Exsudent pingui spumantia dolia musto».

V. 11—14. *veneror*, religiosa veneratione accedo, ut Verg. Aen. III. 84: «Templa dei saxo venerabar structa vetusto». — *stipes . . . desertus in agris*, terminus, cui numen tribuerunt antiqui; cf. Ov. Fast. II. 641—644: «Termine, sive lapis sive es defossus in agris Stipes, ab antiquis tu quoque numen habes, Te duo diversa domini

de parte coronant Binaque serta tibi binaque liba ferunt» et Lactant. Div. Inst. I. 20, 41. de Termino: «Et huic ergo publice supplicatur quasi custodi finium deo, qui non tantum lapis, sed etiam stipes interdum est». — *desertus,* in infrequenti loco positus, ut fere termini. — *vetus in trivio . . . lapis,* hoc loco iam non est de termino cogitandum (nullus enim in trivio locus termino), sed intellegendi sunt lapides sacri, reliquiæ religionis antiquissimæ, quibus numen iunesse putabant antiqui; eos in triviis fuisse testatur etiam Theophr. Char. 16., ubi de homine superstitioso dicit: τῶν λιπαρῶν λίθων τῶν ἐν ταῖς τριόδοις παριὼν ἐκ τῆς ληκύθου ἔλαιον καταχεῖν καὶ ἐπὶ γόνατα πεσὼν καὶ προσκυνήσας ἀπαλλάττεσθαι; Lucian. Alexandr. c. 30: εἰ μόνον ἀληλιμμένον που λίθον ἢ ἐστεφανώμενον θεάσαιτο, προσπίπτων ἀεὶ καὶ προσκυνῶν; Apul. Flor. 1: «Neque enim iustius religiosam moram viatori obiecerit . . . lapis unguine delibutus». Eosdem lapides commemorant Lucr. V. 1198: «Nec pietas ulla est velatum sæpe videri Vertier ad lapidem atque omnes accedere ad aras» et Prop. I. 4, 23—24: «Nullas illa suis contemnet fletibus aras Et quicumque sacer qualis ubique lapis». — *florida serta,* quibus pii homines terminos et lapides sacros ornabant; cf. infra I. 2, 14: «cum posti florida serta darem». — *florida,* ut Catull. 63, 66: «Mihi floridis corollis redimita domus erat» et Ov. Fast. VI. 312: «Et velant scabras florida serta molas». — *pomum . . . educat,* poeta ante oculos habuisse videtur Catull. 62, 41: «flos . . . Quem mulcent auræ, firmat sol, educat imber» et ibid. 49—50: «Ut vidua in nudo vitis quæ nascitur arvo, Nunquam se extollit, nunquam mitem educat uvam»; Tibullum imitatur Ov. Ex Pont. I. 3, 51: «Non ager hic pomum, non dulces educat herbas». — *novus . . . annus,* nova pars sive novum tempus anni (Hungarice *az új év-*

szak, Germanice *die neue Jahreszeit)*, i. e. novum ver, nova æstas aut novus autumnus, quæ sunt partes anni frugiferæ; annus pro parte anni, ut Hor. Carm. III. 23, 8: «pomifero grave tempus anno», ubi agitur de autumno, et Epod. 2, 29: «annus hibernus Iovis». — *Libatum*, ex parte sacrificatum; *libare* enim significat offerre aliquid, quod decerpseris ex toto, hoc loco: primitias ex frugibus. — *agricolæ ponitur . . . deo*, apponitur; ponitur cum dativo, eodem sensu Carm. Priap. 21, 3: «Quæque tibi posui tamquam vernacula poma» et ibid. 27, 3—4: «Cymbala cum crotalis, pruriginis arma, Priapo ponit»; Porphyr. ad Hor. Carm. III. 23, 3: «consuetudo fuit, ut rerum primitias Laribus ponerent». — *agricolæ . . . deo*, deo cuidam rustico, uni ex illis «agricolis cælitibus», quos poeta infra II. 1, 36. invocat; cf. etiam I. 5, 27—28. de Delia diis rusticis sacrificante; «Illa deo sciat agricolæ pro vitibus uvam, Pro segete spicas, pro grege ferre dapem», unde elucet non esse de Silvano, ut quidam volunt, cogitandum, nam mulieribus non licebat Silvano sacrificare; cf. Cat. De agr. 83. de voto Marti et Silvano faciendo: «mulier ad eam rem divinam ne adsit neve videat, quomodo fiat»; Iuv. Sat. 6, 446—447. de muliere viros imitante: «Crure tenus medio tunicas succingere debet, Cædere Silvano porcum» et scholiast. ad h. l.: «quia Silvano mulieres non licet sacrificare». — *ante*, antequam humanos in usus poma convertantur, nam, ut Plin. N. H. XVIII. 2. dicit: «ne degustabant quidem novas fruges aut vina, antequam sacerdotes primitias libassent» et Censor. De die nat. 1: «cum perceperant fruges, antequam vescerentur, dis libare instituerunt». Cf. Prop. IV. 2, 45—46. de Vertumno: «Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter Impositus fronti langueat ante meæ» i. e. antequam capitibus hominum imponatur.

V. 15—18. *Flava Ceres,* ut Hom. Il. V. 500: ξανθὴ Δημήτηρ; cf. Verg. Ge. I. 96: «Flava Ceres alto nequiquam spectat Olympo» et Serv. ad h. l.: «flava dicitur propter aristarum colorem in maturitate»; Ov. Am. III. 10, 3: «Flava Ceres, tenues spicis redimita capillos». — *corona Spicea,* ut Hor. Carm. sæc. 29—30: «Fertilis frugum pecorisque Tellus Spicea donet Cererem corona». Cf. Paul. Fest. s. v. *Sacrima* (p. 465. ed. Thewrewk): «præmetium de spicis, quas primum messuissent, sacrificabant Cereri». — *ruber custos,* erat enim Priapi simulacrum in hortis positum plerumque minio pictum; cf. Ov. Fast. VI. 333: «At ruber hortorum custos» et ibid. I. 415: «At ruber, hortorum decus et tutela, Priapus»; Carm. Priap. 1, 5: «ruber hortorum custos» et 82, 6—8: «Priape, qui sub arboris coma Soles . . . Ruber sedere cum rubente fascino». Plura de Priapo vide supra in introductione ad I. 4. — *Terreat ut sæva falce Priapus aves,* nam Priapus dextra falcem tenebat eratque proprium dei officium fures et aves arcere; cf. Hor. Sat. I. 8, 3—7: «deus inde ego, furum aviumque Maxima formido; nam fures dextra coercet Obscænoque ruber porrectus ab inguine palus; Ast importunos volucres in vertice arundo Terret fixa vetatque novis considere in hortis» et Verg. Ge. IV. 110—111: «Et custos furum atque avium cum falce saligna Hellespontiaci servet tutela Priapi»; Ov. Met. XIV. 640: «Quique deus fures vel falce vel inguine terret». — *sæva falce,* ut supra I. 4, 8: «armatus curva . . . falce deus».

V. 19—24. *felicis quondam, nunc pauperis agri,* quia maiores Tibulli ditiores fuerunt, quam poeta ipse; cf. infra vss. 41—42. et adn. ad h. l. — *felicis,* divitis, ut etiam *beatus* sæpe ponitur pro: dives. — *agri custodes . . . Lares,* agitur de Laribus familiaribus, in quorum tutela erat

præter domum etiam fundus; cf. infra II. 1, 17—18: «Di patrii . . . Vos mala de nostris pellite limitibus», ubi *di patrii* sunt Lares familiares; cf. adn. ad h. l. — *fertis munera vestra,* accipitis, ut Hor. Carm. IV. 8, 4: «neque tu pessima munerum Ferres» et Ov. Am. III. 6, 66: «Munera promissis uberiora feres». — *Tunc,* dum dives fuit Tibullorum domus. — *vitula innumeros lustrabat cæsa iuvencos,* agitur de lustratione agri sive de festo Ambarvalium quovis vere celebrari solito, de quo plura vide infra in introductione ad II. 1. — *Nunc agna exigui est hostia parva soli,* cf. II. 1, 15. de hostia ambarvali in agro Tibulli: «Cernite, fulgentes ut eat sacer agnus ad aras?» — *Agna cadet vobis,* sc. Laribus; etiam II. 1, 15. («Di patrii, purgamus agros, purgamus agrestes») Lares invocat poeta agnum ambarvalem immolans; cf. adn. ad h. l. — *rustica pubes,* quam in prædio suo habuit Tibullus; *pubes,* cf. adn. infra ad I. 7, 5: «pubes Romana». — *messes et bona vina,* ad *messes* supplendum est *bonas* ex sequentibus.

V. 25—28. *Hic modo iam possim,* i. e. in agro meo, ut infra vs. 35: «*Hic* ego pastoremque meum lustrare quotannis . . . soleo». Sensus est: «Iam modo hic possim vivere in agro meo paupere (vs. 19.), in hoc exiguo solo (vs. 22.), quietus neque semper longa itinera facere debeam»; *hic modo . . . possim,* ut infra I. 2, 71—72: «Ipse boves mea si *tecum modo* Delia possim Iungere». Ceterum *hic* est mea coniectura; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *iam,* tandem. — *vivere parvo,* eadem verba in fine hexametri Hor. Sat. II. 2, 1: «Quæ virtus et quanta, boni, sit vivere parvo». — *Nec semper longæ deditus esse viæ,* supple: debeam. — *longæ . . . viæ,* alludit ad itinera, quæ bello Aquitanico (cf. I. 7, 8—12.) et ad expeditionem Messallæ orientalem proficiscens (cf. I. 3.) facere coactus est. Cf. Hor.

Carm. II. 6, 7: «Sit modus lasso... viarum Militiæque». — *Sed Canis æstivos ortus vitare sub umbra Arboris ad rivos prætereuntis aquæ,* poetam Græcum exemplar ante oculos habuisse testantur epigrammata incertorum auctorum Anth. Pal. X. 12, 7: ἁ δ' ὑπὸ πέτρᾳ Πίδαξ εὐνήσει γυιοβαρῆ κάματον. Ἔνδιον δὲ φυγόντες ὀπωρινοῦ κυνὸς ἆσθμα et Anth. Plan. 227, 5, 7: Χὠ ποιμὴν ἐν ὄρεσσι μεσαμβρινὸν ἀγχόθι παγᾶς Συρίσδων, λασίας θάμνῳ ὑπὸ πλατάνου Καύματ' ὀπωρινοῖο φυγὼν κυνός. — *Sed Canis æstivos ortus vitare sub umbra Arboris,* cf. Hor. Carm. I. 17, 17—18: «Hic in reducta valle Caniculæ vitabis æstus» et Ov. Am. III. 5, 7: «Ipse sub arboreis vitabam frondibus æstum». — *Canis æstivos ortus,* cf. adn. supra ad I. 4, 6: «æstivi Canis». — *sub umbra Arboris ad rivos prætereuntis aquæ,* cf. Lucr. II. 29. sqq.: «prostrati in gramine molli Propter aquæ rivum sub ramis arboris altæ». — *pætereuntis aquæ,* ut Hor. Carm. II. 11, 17—20: «quis puer ocius Restinguet ardentis Falerni Pocula prætereunte lympha?»

V. 29—32. *bidentem,* cf. adn. supra ad I. 10, 49: «bidens vomerque». — *Aut stimulo tardos increpuisse boves,* cogitandum de aratione. — *stimulo . . . increpuisse,* boves stimulis fodiendo hortari, ut Ov. Met. XIV. 820—821: «Impavidus conscendit equos Gradivus et ictu Verberis increpuit» et Stat. Theb. III. 431: «Terga comamque deæ Scythica pater increpat hasta». — *Non agnamve sinu pigeat* etc.; locum imitatur Calpurn. Ecl. 5, 39—42: «Te quoque non pudeat, cum serus ovilia vises, Si qua iacebit ovis partu resoluta recenti, Hanc umeris portare tuis natosque patenti Ferre sinu tremulos et nondum stare paratos». — *desertum oblita matre,* a matre eius oblita.

V. 33—36. *exiguo pecori,* gregi. — *furesque lupique,* una commemorantur etiam Paneg. Mess. 186—187: «Cui-

que pecus denso pascebant agmine colles Et domino satis et nimium furique lupoque». — *Hic*, sc. in agro meo, ut supra vs. 25: «Hic modo iam possim contentus vivere parvo». — *pastoremque meum lustrare quotannis*, agitur de Palilibus, festo, die 21. Aprilis in honorem Palis, deæ pastorum, celebrato, de quo plura vide infra ad II. 5, 87—90: «Ac madidus Baccho sua festa Palilia pastor Concinet: a stabulis tunc procul este, lupi. Ille levis stipulæ sollemnis potus acervos Accendet, flammas transilietque sacras». — *lustrare*, lustrabantur pastores ardentes stipulas transilientes; cf. adn. infra ad II. 5, 89—90. — *Et placidam soleo spargere lacte Palem*, festo Palilium signum deæ lacte aspergebatur; cf. Ov. Fast. IV. 745—746: «Adde dapes mulctramque suas dapibusque resectis Silvicolam tepido lacte precare Palem». Eandem rem tangit ipse Tibullus infra II. 5, 27—28: «Lacte madens illic suberat Pan ilicis umbræ Et facta agresti lignea falce Pales»; cf. adn. ad h. l. — *placidam*, per prolepsin: ut placida sit; cf. adn. supra ad I. 8, 16: «nitidum».

V. 37—40. *Adsitis, divi*, faveatis mihi pie vos colenti; cf. Verg. Aen. IV. 578. Aeneas ad Mercurium: «Adsis o placidusque iuves». — *e paupera mensa Dona*, libationes vini et dapes tempore cenæ diis oblatæ. Solebant autem agricolæ cenantes imprimis diis rusticis libare, ut Ofellus Horatii (Sat. II. 2, 124—125.): «Ac venerata Ceres, ita culmo surgeret alto, Explicuit vino contractæ seria frontis». — *nec e puris spernite fictilibus*, summæ simplicitatis est fictilibus sacrificare, nam pateræ, quibus vina libabantur, et patellæ, quibus dapes diis offerebantur, iam antiquissimis temporibus ex argento erant factæ; cf. Plin. N. H. XXXVI. 153: «Fabricius, qui bellicosos imperatores plus quam pateram et salinum habere ex argento vetabat»;

Liv. XXVI. 36: «argenti . . . libras pondo, ut salinum patellamque deorum causa habere possint». Ceterum etiam Horatius fictilibus libavit, ut elucet ex Sat. I. 6, 118., ubi mensam suam describit: «adstat . . . cum patera guttus, Campana supellex» i. e. vasa Campana fictilia. — *puris . . . fictilibus,* sensu religioso: humano usu non inquinatis, nam homini e patera bibere, ex patella edere non licebat; Cic. De fin. II. 22. «Atqui reperiemus asotos primum ita non religiosos, ut edint de patella». — *de facili compositque luto,* de collocatione coniunctionis *-que* vide adn. supra ad I. 10, 51: «Rusticus e lucoque». — *facili,* quod facile fingi potest.

V. 41—44. *Non ego divitias patrum fructusque requiro, Quos tulit antiquo condita messis avo,* vides, cum Tibullus de divitiis maiorum et de antiquo avo loquatur, non potuisse eum, ut quidam volunt, paucis annis ante, in distributione agrorum inter veteranos anno 41. a. Chr. n. facta, partem agri paterni amittere; non Tibullus ipse fuit igitur ditior olim, sed patres eius. — *antiquo . . . avo,* ut supra I. 10, 18: «veteris avi»; cf. adn. ad h. l. — *condita messis,* frumentum in horreo conditum; cf. Hor. Carm. I. 7, 9—10: «si proprio conditit horreo, Quidquid de Libycis verritur areis». — *tuto requiescere lecto Si licet et solito membra levare toro,* cf. Catull. 31, 8. sqq.: «peregrino Labore fessi venimus Larem ad nostrum Desideratoque adquiescimus lecto». — *tuto . . . lecto,* tuto ab incursione hostium, a ventis et pluviis; cf. supra vs. 4: «Martia cui somnos classica pulsa fugent» et infra vs. 45—47. et imprimis vs. 48: «*Securum* somnos imbre iuvante sequi»; cf. etiam Hor. Sat. II. 6, 116—117: «me silva cavusque *Tutus* ab insidiis tenui solabitur ervo». Ceterum *tuto* est mea coniectura; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *requiescere lecto,* eadem verba in

fine hexametri apud Prop. I. 8, 33: «Ille vel angusto mecum requiescere lecto». — *membra levare toro*, locum imitatur Ov. Am. I. 5, 2: «Adposui medio membra levanda toro», Fast. VI. 328: «Pars iacet et molli gramine membra levat», Trist. I. 3, 94: «et gelida membra levavit humo» et Met. VIII. 639: «Membra senex posito iussit relevare sedili».

V. 45—48. *Quam iuvat . . . dominam tenero continuisse sinu*, locum imitatur Lygd. 6, 53: «Quam vellem tecum longas requiescere noctes». — *tenero continuisse sinu*, ut infra I. 2, 73—74: «Et te dum liceat teneris retinere lacertis, Mollis et in dura sit mihi somnus humo». — *tenero . . . sinu*, pectore, ut supra I. 8, 36: «teneros conserit usque sinus». — *continuisse*, clausam vel vinctam tenere, ut dicitur: aliquem vinclis aut carcere continere. — *Aut gelidas hibernus aquas cum fuderit Auster*, versum imitatur Ov. Ex Pont. II. 1, 25: «cum multis lucibus ante Fuderit adsiduas nubilus Auster aquas». — *Auster*, pluvias fert secum; cf. Verg. Ge. III. 278—279: «unde nigerrimus auster Nascitur et pluvio contristat frigore cælum». — *somnos . . . sequi*, somno se tradere; cf. Senec. Oed. 682: «otium ac somnum sequi». — *imbre iuvante*, adiuvante, ut Liv. I. 37, 1: «ventoque iuvante accensa ligna»; nam æqualis sonus aquæ cadentis facile et iucunde homines sopit; cf. infra I. 2, 77—78: «soporem Nec sonitus placidæ ducere posset aquæ» et adn. ad h. l.; fragmentum Sophocl. apud Cic. Ad Att. II. 7, 4: κἂν ὑπὸ στέγῃ Πυκνῆς ἀκούειν ψεκάδος εὑδούσῃ φρενί; Liv. XXIV. 46, 5: «imber . . . lentior deinde æqualiorque accidens auribus magnam partem hominum sopivit».

V. 49—52. *furorem Qui maris et tristes ferre potest pluvias*, iniurias cæli intellegit militibus tolerandas. — *tristes . . . pluvias*, ut Hor. Sat. I. 1, 36: «inversum con-

tristat aquarius annum» et Verg. Ge. III. 278: «Auster . . . pluvio contristat frigore cælum». — *O quantum est auri pereat potiusque smaragdi,* o pereat potius, quantum auri smaragdique est; de ordine verborum cf. adn. supra ad I. 4, 2. — *auri . . . smaragdi,* præda bellica. — *Quam fleat ob nostras ulla puella vias,* alludit ad elegiæ præcedentis locum, I. 3, 13—14. (de Delia): «tamen est deterrita nunquam, Quin fleret nostras despueretque vias». — *Quam,* quam ut, ellipsis solita post comparativum; cf. Catull. 64, 81. sqq.: «ipse Theseus . . . corpus . . . proicere optavit *potius quam* talia Cretam Funera . . . portarentur».

V. 53—58. *Te bellare decet terra, Messalla, marique,* alloquitur Messallam in Oriente belligerantem. — *Ut domus hostiles præferat exuvias,* spolia in domo triumphatoris affigebantur postibus; cf. Liv. X. 7, 9: «quorum domus spoliis hostium affixis insignes inter alias feceritis» et XXXVIII. 43, 11: «spolia eius urbis ante currum laturus et fixurus in postibus suis». — *Me retinent vinctum formosæ vincla puellæ,* ut infra I. 9, 79: «me vinctum puer alter habebit» et infra II. 4, 3—4: «teneorque catenis Et nunquam misero vincla remittit amor»; cf. Hor. Carm. IV. 11, 21. sq.: «Telephum . . . occupavit . . . puella Dives et lasciva tenetque grata Compede vinctum». — *sedeo duras ianitor ante fores,* amator exclusus servat limen, tamquam ianitor. — *duras . . . fores,* crudeles, quia clausæ sunt, ut supra I. 8, 76: «Quæcumque opposita est ianua dura sera»; cf. adn. ad h. l. — *ianitor,* tamquam ianitor; cf. supra vs. 8: «Rusticus» et adn. ad h. l.. Ianitor erat servus plerumque catena alligatus, quo aptior est comparatio cum amatore vincto; cf. Ov. Am. I. 6, 1: «Ianitor (indignum!) dura religate catena». — *Non ego laudari curo,* non sum cupidus gloriæ bellicæ, ut Prop. I. 6, 29: «Non ego sum

laudi, non natus idoneus armis». — *segnis inersque vocer,* libenter accipio nomen inertis.

V. 59—64. *Te teneam moriens deficiente manu,* ad hunc versum alludit Ov. Am. III. 9, 58: «Me tenuit moriens deficiente manu»; cf. etiam Damageti epigr. Anth. Pal. VII. 735, 5—6: Αὐτὰρ ἐμεῦ σχεδόθεν μόρος ἵσταται, ὡς ὄφελόν γε Χειρὶ φίλην τὴν σὴν χεῖρα λαβοῦσα θανεῖν. — *arsuro . . . lecto,* feretrum, quod una cum mortuo in rogo comburebatur; cf. Ov. Met. XIV. 747: «Luridaque arsuro portabat membra feretro». — *Tristibus et lacrimis oscula mixta dabis,* cf. Prop. II. 13, 29. de Cynthia: «Osculaque in gelidis pones suprema labellis». — *non tua sunt duro præcordia ferro Vincta nec in tenero stat tibi corde silex,* locum imitatur Ov. Ex Pont. IV. 12, 31—32: «duro tibi pectora ferro Esse vel invicto clausa adamante putem», Met. IX. 614—615: «Nec rigidos silices solidumque in pectore ferrum Aut adamanta gerit», Trist. III. 11, 4: «Et dicam silices pectus habere tuum», Am. III. 6, 59: «Ille habet et silices et vivum in pectore ferrum», Met. VII. 33: «Tum ferrum et scopulos gestare in corde fatebor», Trist. I. 8, 41—42: «Et tua sunt silicis circum præcordia venæ Et rigidum ferri semina pectus habet». — *præcordia ferro Vincta,* pectus ferro inclusum, ut Ov. Ex Pont. IV. 12, 31—32: «pectora invicto clausa adamante». — *stat . . . silex,* immota est, riget, ut infra II. 4, 9: «Stare vel insanis cautes obnoxia ventis» et Verg. Aen. VI. 472: «Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes».

V. 65—68. *non iuvenis . . . non virgo,* qui fidelem amatorem mortuum una cum Delia lugent. — *manes ne læde meos,* nam manes læduntur immodico luctu; cf. Sulpicii consolationem ad Ciceronem (Ep. ad Fam. IV. 5, 6.): «quod si qui etiam inferis sensus est, qui illius (sc. Tulliæ) in te

amor fuit pietasque in omnes suos, hoc certe illa te facere (sc. vehementius lugere) non vult». — *sed parce solutis Crinibus et teneris . . . parce genis*, mos erat lugentium, ut capillos scinderent et genas unguibus lacerarent; cf. Ov. Trist. III. 3, 51. ad uxorem: «Parce tamen lacerare genas nec scinde capillos» et Am. III. 9, 51—52. de funere Tibulli: «Hinc soror in partem misera cum matre doloris Venit inornatas dilaniata comas». — *solutis Crinibus*, quod erat signum luctus; cf. adn. supra ad I. 3, 8: «effusis comis».

V. 69—72. *Interea, dum fata sinunt, iungamus amores, Iam veniet tenebris Mors adoperta caput*, locum imitatur Prop. I. 19, 25: «Quare, dum licet, inter nos lætemur amantes» et II. 15, 23—24: «Dum nos fata sinunt, oculos satiemus amore: Nox tibi longa venit nec reditura dies». — *iungamus amores*, amemus amore mutuo, ut Catull. 64, 372: «Quare agite optatos animi coniungite amores». — *tenebris Mors adoperta caput*, Mors personificata, capite tenebris involuto; sunt enim tenebræ mortis signum, ut Verg. Aen. VI. 866. Marcellum immaturæ morti destinatum ita describit: «Sed nox atra caput tristi circumvolat umbra». — *Iam subrepet iners ætas*, cf. adn. supra I. 10, 40: «Occupat . . . pigra senecta» et Iuv. Sat. IX. 129: «obrepit non intellecta senectus». — *Dicere nec cano blanditias capite*, cf. infra I. 2, 91. de sene amante: «Et sibi blanditias tremula componere voce» et Plaut. Merc. 305: «Tune capite cano amas, senex nequissume?»

V. 73—78. *levis . . . Venus*, non seria, non gravis, sed ludibunda; cf. infra I. 7, 44: «levis amor». — *Venus*, amor. — *frangere postes*, vide adn. supra ad I. 10, 54: «perfractas fores» et Ov. Am. I. 9, 20. de milite et de amante: «hic portas frangit, at ille fores». — *rixas in-*

seruisse iuvat, ut Prop. III. 7, 33—34. ad Cynthiam: «Aut tecum aut pro te mihi cum rivalibus arma Semper erunt: in te pax mihi nulla placet»; contra Hor. Carm. III. 14, 25—26: «Lenit albescens animos capillus Litium et rixæ cupidos protervæ». — *inseruisse*, sc. Veneri, amoribus; absolute positum, ut Ov. Am. III. 7, 9: «Osculaque inseruit cupide luctantia linguis». Sed scribendum fortasse cum codicibus deterioribus: *conseruisse*, ut dicitur: manus, pugnam conserere. Agitur enim, ut vss. 75—76. docemur, de bellis Veneris. — *Hic ego dux milesque bonus*, sc. in foribus frangendis et in rixis amatoriis, in bellis Veneris, ut Prop. II. 22, 34: «Hic ego Pelides, hic ferus Hector ego» et I. 6, 29—30: «Non ego sum laudi, non natus idoneus armis: Hanc me militiam fata subire volunt». — *cupidis*, sc. prædæ, avaris. — *composito . . . acervo*, sc. frugum in horreo, ut supra vs. 9: «frugum semper acervos»; cf. Hor. Ep. 2, 190—191: «Utar et ex modico, quantum res poscet, acervo Tollam». — *composito*, collecto et exstructo, ut Verg. Aen. VIII. 317: «componere opes». — *Despiciam dites despiciamque famem*, ut Hor. Carm. II. 10, 5—8: «Auream quisquis mediocritatem Diligit, tutus caret obsoleti Sordibus tecti, caret invidenda Sobrius aula» et Ov. Trist. II. 113. de domo sua: «Et neque divitiis nec paupertate notanda».

III.

Lib. I. eleg. 5.

Introductio. Inter Tibullum et Deliam discidium ortum est, quod poeta se diutius ferre non posse fatetur.

Paratus est quamvis pœnam subire, rogat tamen puellam, ut parcat amatori et in gratiam secum redeat (1—8). Narrat se Deliam, cum morbo laboraret gravissimo, votis suis servasse (9—18.) qualemque imaginatus sit felicitatem, si restituta valetudine secum eam ruri haberet (19—36). Nunc a Delia relictus vino curas depellere frustra temptat neque alius puellæ amplexu frui potest, cum semper Delia sit ei in animo (37—46). Causa malorum est lena, quæ divitem quendam amatorem puellæ commendavit. Sagæ igitur illi diras horrendas imprecatur (47—58). Deinde Deliam alloquitur, dehortatur eam a præceptis lenæ et pauperis amatoris officia laudat (59—66). In fine, cum sentiat ianuam amatæ carminibus sine pecunia aperiri non posse, rivalem divitem monet, ne Deliam fidelem sibi fore credat: esse enim iam in limine quendam, qui puellam furtim adire paret (67—76).

V. 1—4. *Asper*, ferox, iratus. — *bene discidium me ferre loquebar*, locum imitatur Ov. Met. XIV. 78—79. de Didone: «Excipit Aenean illic animoque domoque Non bene discidium Phrygii latura mariti». — *bene . . . ferre,* facile tolerare; contrarium est: male sive ægre ferre. — *gloria,* gloriatio. — *Namque agor, ut per plana citus loca verbere turben, Quem celer adsueta versat ab arte puer,* eadem similitudine utitur Verg. Aen. VII. 377—384. de Amata furente: «furit lymphata per urbem Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo, Quem pueri magno in gyro vacua atria circum Intenti ludo exercent; ille actus habena Curvatis fertur spatiis; stupet inscia supra Impubesque manus mirata volubile buxum; Dant animos plagæ: non cursu segnior illo Per medias urbes agitur populosque feroces»; cf. etiam Callim. epigr. Anth. Pal. VII. 89, 9—10: Οἵ δ' ἄρ' ὑπὸ πληγῇσι θοὰς βέμβικας ἔχοντες Ἔστρεφον εὐρείῃ παῖδες

ἐνὶ τριόδῳ. — *agor, ut . . . turben,* animus amore vexatus circumagitur tamquam turbine, ut Bion. 4—5: ἦν δὲ νόον τις Ἔρωτι δονεύμενος ἀδὺ μελίσδῃ et Ov. Am. II. 9, 28: «Nescio quo miseræ turbine mentis agor». — *verbere,* flagello. — *turben,* turbo, rarior forma; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *ab arte,* cf. adn. supra ad I. 9, 66: «Cum tibi non solita corpus ab arte movet».

V. 5—8. *Ure ferum,* Deliam alloquitur. — *Ure . . . et torque,* alludit ad pœnas serviles; cf. adn. supra ad I. 9, 21—22: «Ure meum potius flamma caput et pete ferro Corpus». — *ferum,* ferocem, qui amori se dedere non vult, ut infra II. 6, 5. ad Amorem: «Ure, puer, quæso, tua qui ferus otia liquit». — *torque,* intellege tormenta servorum, qui variis instrumentis cruciabantur; Græce στρεβλοῦσθαι. — *Magnificum,* verba superba; cf. infra II. 6, 11—12: «Magna loquor, sed magnifice mihi magna locuto Excutiunt clausæ fortia verba fores». — *horrida verba,* ferocia, aspera. — *Parce tamen, per te furtivi fœdera lecti,* versum imitatur Ov. Am. III. 11, 45: «Parce per o lecti socialia iura». — *per te furtivi fœdera lecti,* per fœdera furtivi lecti te oro; in tali obtestatione sollemnis hic verborum ordo, ut infra IV. 5, 7: «per te . . . dulcissima furta . . . rogo». et Lygd. 1, 15—16: «Per vos . . . oro Castaliamque umbram Pieriosque lacus»; cf. etiam Verg. Aen. X. 597: «per qui te talem genuere parentes». — *foedera lecti,* dicitur sæpe de matrimonio, ut Ov. Met. VII. 852: «per nostri fœdera lecti», Her. 5, 101: «Atrides temerati fœdera lecti Clamat», Met. VII. 710: «Primaque deserti referebam fœdera lecti»; hoc loco concubitum significat, ut infra IV. 13, 2: «Hoc primum iuncta est fœdere nostra Venus» et Ov. A. A. II. 462: «concubitus fœdera» et Met. III. 294: «Veneris fœdus». — *compositumque caput,* sc. in lecto; locum imitatur

Ov. Her. 3, 107: «Perque tuum nostrumque caput, quæ iunximus una»; cf. Prop. II. 14, 22: «Mecum habuit positum lenta puella caput».

V. 9—14. *tristi morbo*, ut infra in carmine Sulpiciæ (IV. 11, 3.): «tristes morbos». — *morbo defessa*, ut IV. 11, 2. apud Sulpiciam: «Quod mea nunc vexat corpora fessa calor» et IV. 4, 10. apud Tibullum ipsum: «Quicumque et cantus corpora fessa levant». — *votis eripuisse meis*, sc. pro salute tua susceptis. — *eripuisse*, sc. morti. — *te circum lustravi sulfure puro*, sulfure suffiebant ægrotos, ut morbo purgarentur; cf. Ov. A. A. II. 329—330: «Et veniat, quæ lustret anus lectumque locumque Præferat et tremula sulfur et ova manu». — *circum*, adverbium: lectum circumiens, ut Menand. apud Clem. Alex. Strom. VII. 4, 27 (p. 713.): περιμαξάτωσαν σ' αἱ γυναῖκες ἐν κύκλῳ καὶ περιθειωσάτωσαν; idem significat περιθείωσις apud Plat. Cratyl. p. 405 A. — *puro*, purgante, ut Theocr. 24, 94: καθαρῷ δὲ πυρώσατε δῶμα θεείῳ; cf. Plin. N. H. XXXV. 177: «habet sulfur et in religionibus locum ad expiandas suffitu domos». — *præcinuisset*, proprie dicitur de incantationibus in morbo adhibitis, unde sagæ etiam *præcantrices* dicebantur; cf. Varr. apud Non. 494, 26. Idem significat *præcantatrix* Plaut. Mil. glor. 692 et Porphyr. ad Hor. Carm. I. 27, 21. — *procuravi*, proprie dicitur de prodigiis ritu sacro expiandis, hoc loco de malis ominibus in somno visis. — *sæva . . . somnia*, quæ funesta portendunt; cf. Soph. El. 500: ἐν δεινοῖς ὀνείροις et Val. Flac. I. 329: «sæva insomnia». — *ter sancta deveneranda mola*, mola salsa in ignem coniecta; cf. Lygd. 4, 9—10: «Et natum in curas hominum genus omina noctis Farre pio placant et saliente sale». — *deveneranda*, deprecanda, precibus et ritu religioso averruncanda; *veneror* enim sæpe idem significat,

quod *precor* (cf. Hor. Sat. II. 6. 8.), unde *deveneror* transiit ad significationem deprecandi.

V. 15—18. *velatus filo tunicisque solutis,* caput velare tunicamque recingere debebant, qui sacris operabantur; cf. Ov. Met. I. 398: «velantque caput tunicasque recingunt». — *velatus filo,* caput velans infula lanea, ut sacerdotes; cf. Liv. I. 32. 6. de Fetialibus: «legatus, ubi ad fines eorum venit, unde res repetuntur, capite velato filo (lanæ velamen est)» etc.; Ov. Ex Pont. III. 2, 75: «Dumque parat sacrum, dum velat tempora vittis». — *tunicisque solutis,* nam nihil nexi et vincti in sacris esse licet; cf. adn. supra ad I. 3, 32: «resoluta comas». Eadem verba in fine hexametri Prop. IV. 8, 61: «Illæ direptisque comis tunicisque solutis». — *Vota novem Triviæ nocte silente dedi,* Triviæ, i. e. Hecatæ sive Proserpinæ; solebant enim diis inferis pro salute ægrotorum, ut iis parceretur, vota facere; cf. Lygd. 5, 33—34: «Interea nigras pecudes promittite Diti Et nivei lactis pocula mixta mero»; Prop. II. 28, 47—48. de Cynthia ægrotante: «Hæc tua, Persephone, maneat clementia, nec tu, Persephones coniunx, sævior esse velis». — *Vota . . . dedi,* feci, nuncupavi, non autem: reddidi, ut vs. sq. («omnia persolvi») docemur. — *novem,* verisimiliter ter tria, quia Hecate erat dea triformis: Luna, Diana, Proserpina. — *Triviæ,* quia Hecate in triviis colebatur. — *nocte silente,* Hecate enim, dea inferorum, nocturno cultu celebrabatur. — *Omnia persolvi: fruitur nunc alter amore Et precibus felix utitur ille meis,* locum imitatur Ov. Her. 6, 73—75: «Adde preces castas immixtaque vota timori, Nunc quoque te salvo persoluenda mihi. Vota ego persolvam: votis Medea fruetur?» Cf. etiam Prop. II. 9, 25—26. de Cynthia ingrata: «Hæc mihi vota tuam propter suscepta salutem, Cum capite hoc Stygiæ iam poterentur aquæ?» — *Omnia*

persolvi, omnia vota te salvo reddidi. — *precibus . . . utitur . . . meis,* fructum precum mearum percipit.

V. 19—24. *fuisses,* pro: esses, quod sæpius occurrit. — *renuente deo,* non de certo quodam deo cogitandum, sed in genere dicitur pro numine divino; cf. Ov. Met. VIII. 324—325: «Hanc, pariter vidit, pariter Calydonius heros Optavit renuente deo». — *Area . . . teret,* ut Hor. Sat. I. 1, 45: «Milia frumenti tua triverit area centum»; Verg. Ge. I. 192: «teret area culmos» et 298: «terit area fruges». — *messes,* frumenta; cf. adn. ad I. 1, 42: «condita messis». — *sole calente,* die æstivo, ut Verg. Ge. I. 190: «Magnaque cum magno veniet tritura calore» et 298: «Et medio tostas æstu terit area fruges». — *servabit,* custodiet. — *in lintribus,* quibus uvæ collectæ portabantur. — *Pressaque veloci candida musta pede,* cf. infra I. 7. 36: «Expressa . . . uva . . . pedibus» et II. 5, 85: «Oblitus et musto feriet pede rusticus uvas». — *candida musta,* unde vinum album fit; cf. Plin. N. H. XXIII. 18: «Musta differentias habent naturales has, quod sunt candida aut nigra aut inter utrumque».

V. 25—30. *numerare pecus,* numerabatur pecus aut vesperi tantum, aut etiam mane, antequam ad pascua ageretur; cf. Theocr. 8, 16: τὰ δὲ μᾶλα ποθέσπερα πάντ' ἀριθμεῦντι; Verg. Ecl. 3, 34: «bisque die numerant ambo pecus». — *amantis Garrulus in dominæ ludere verna sinu,* vernæ enim, filii servorum in domo domini nati, liberalius habebantur, quam ceteri; cf. Hor. Sat. II. 6, 66—67: «Ante larem proprium vescor vernasque procaces Pasco libatis dapibus». — *deo . . . agricolæ,* deo cuidam rustico; cf. adn. supra ad I. 1, 14: «agricolæ ponitur ante deo». — *pro vitibus uvam,* e. g. Baccho, Vertumno, Priapo. — *Pro segete spicas,* e. g. Cereri, ut supra I. 1,

15—16. — *segete*, ultima syllaba producta est propter consonantes sequentes *(spicas)*, ut I. 6, 34: «Servare, frustra clavis inest foribus». — *pro grege ferre dapem*, cf. Paul. Fest. s. v. (p. 48. ed. Thewrewk): «Daps apud antiquos dicebatur res divina, quæ fiebat aut hiberna sementi aut verna». Dapem vernam Iovi Dapali pro bubus faciendam describit Cat. De agr. 131: «Piro florente dapem pro bubus facito. Postea verno arare incipito» et 132: «Dapem hoc modo fieri oportet: Iovi Dapali culignam vini quantam vis polluceto»; ibid. 50, 2: «Ubi daps profanata comestaque erit, verno arare incipito». — *cunctos*, totam familiam. — *At iuvet in tota me nihil esse domo*, ad hunc versum alludit Martial. XIV. 192: «Ussit amatorem Nemesis lasciva Tibullum, In tota iuvit quem nihil esse domo».

V. 31—36. *detrahat*, decerpat. — *curet*, absolute positum: curet omnia, quæ ad hospitem excipiendum necessaria sunt; cf. Ter. Andr. 170—171: «Sat est: curabo: eamus nunciam intro»; Sallust. Catil. 59: «(Catilina) Manlium in dextra, Fæsulanum quendam in sinistra parte curare iubet». — *Tunc paret atque epulas ipsa ministra gerat*, i. e. paret epulas easque ipsa gerat; substantivum ambobus verbis commune in secundo membro positum, ut I. 2, 39—40: «is sanguine natam, Is Venerem e rabido sentiet esse mari» et I. 6, 81—82: «Hanc animo gaudente vident iuvenumque catervæ Commemorant merito tot mala ferre senem» et I. 2, 93—94: «Stare nec ante fores puduit caræve puellæ Ancillam medio detinuisse foro». — *ministra*, tamquam ministra; cf. adn. ad I. 1, 8: «Rusticus». — *quæ nunc eurusque notusque Iactat odoratos vota per Armenios*, proverbiali locutione dicuntur omnia, quæ ad irritum cadunt, ventis auferri, ut vidimus in adn. ad I. 4, 21: «Veneris periuria venti» etc. Tibullum imitatur Lygd. 6,

27—28: «venti temeraria vota Aeriæ et nubes diripienda ferant» et Ov. Am. I. 4, 11—12: «nec euris Da mea nec tepidis verba ferenda notis». Similia occurrunt Prop. IV. 7, 21—22: «Fœderis heu taciti, cuius fallacia verba Non audituri diripuere noti»; Ov. Am. II. 6, 44: «Vota procelloso per mare rapta noto», ibid. II. 11, 33: «Ac si vana ferunt volucres mea dicta procellæ», Trist. I. 2, 15—16: «Terribilisque notus iactat mea dicta precesque, Ad quos mittuntur, non sinit ire deos». — *odoratos per . . . Armenios,* propter frutices bene olentes, qui ibi nascuntur; cf. Plin. N. H. XII. 49. de amomo: «Nascitur et in Armeniæ parte, quæ vocatur Olene»; *odoratos,* ut Prop. IV. 3, 64: «Raptave odorato carbasa lina duci» et Sil. It. Pun. XVII. 648: «Indos odoratos». — *Armenios,* ponitur pro quavis longinqua terra. — *vota,* optata.

V. 37—42. *At dolor in lacrimas verterat omne merum,* cf. supra I. 8, 54: «Et lacrimis omnia plena madent» et adn. ad h. l. — *tenui,* amplexus sum, ut infra I. 6, 35: «Te tenet» et II. 6, 52: «Quisve meam teneat». — *gaudia,* Veneris gaudia, ut infra II. 1, 12: «Cui tulit hesterna gaudia nocte Venus». — *dominæ,* sc. Deliæ. — *deseruitque Venus,* i. e. virum me præstare non potui. — *me . . . devotum femina dixit,* magica arte devotum; solebant enim puellæ magicæ artis peritæ amatores suos devovere, ne illi aliis feminis viros se præstare possent; cf. de eadem re Ov. Am. III. 7, 27—28; «Num mea Thessalico languent devota veneno Corpora? Num misero carmen et herba nocent?» et ibid. 79—80: «Aut te traiectis Aeæa venefica lanis Devovet». — *A pudet,* sc. me; cf. Hor. Epod. 11, 7—8: «Heu me per urbem, nam pudet tanti mali, Fabula quanta fui». — *scire nefanda meam,* amicam meam (sc. Deliam) nefandæ magiæ peritam esse. —

meam, supple: amicam; cf. adn. supra ad I. 4, 75: «Pareat illa suæ».

V. 43—46. *Non facit hoc verbis, facie tenerisque lacertis Devovet et flavis nostra puella comis*, ut supra I. 8, 23—24: «Quid queror heu misero carmen nocuisse, quid herbas? Forma nihil magicis utitur auxiliis». — *verbis*, cantibus magicis. — *Talis ad Hæmonium Nereis Pelea quondam Vecta est frenato cærula pisce Thetis*, cogitandum de Thetide ad nuptias cum Peleo celebrandas proficiscente, ut Val. Flacc. I. 130—132: «Hic insperatos Tyrrheni tergore piscis Peleos in thalamos vehitur Thetis, æquora delphin Concipit». — *Talis*, tali pulchritudine insignis; cf. Catull. 64, 28: «Tene Thetis tenuit pulcherrima Nereine?» — *Hæmonium*, Thessalum, quia Peleus regnabat in Phthiotide, Thessaliæ (Hæmoniæ) parte. — *Nereis*, filia Nerei, dei marini. — *frenato . . . pisce*, delphine, ut etiam alii dei marini in picturis conspiciuntur in delphine sedentes; cf. Val. Flac. locum supra laud. et Ov. Met. XI. 236—237: «quo sæpe venire Frenato delphine sedens, Theti nuda, solebas». — *cærula . . . Thetis*, ut Hor. Epod. 13, 16. de Achille: «nec mater domum Cærula te revehet» et Prop. II. 9. 15: «Cum tibi nec Peleus aderat nec cærula mater». Diis maris et fluviorum virides aut cæruleas vestes tribuunt poetæ propter colorem aquæ; cf. Ov. A. A. III. 177—178. de veste cærulea: «Hic undas imitatur, habet quoque nomen ab undis: Crediderim nymphas hac ego veste tegi», Met. IX. 32. de Acheloo: «reieci viridem de corpore vestem»; Verg. Aen. VIII. 33—34. de Tiberino: «Tenuis glauco velabat amictu Carbasus»; etiam virides comæ et cæruleum corpus iis tribuuntur, ut Hor. Carm. III. 28, 10: «virides Nereidum comas» et Ov. Met. XIII. 895—896: «Quid, nisi quod maior, quod toto cærulus ore Acis erat» et ibid. 960—

962. de Glauco: «Hanc ego tum primum viridem ferrugine barbam Cæsariemque meam, quam longa per æquora verro, Ingentesque humeros et cærula bracchia vidi».

V. 47—52. *Hæc nocuere mihi, quod . . . Venit in exitium callida lena meum*, ut infra II. 6, 44—45: «Lena nocet nobis . . . Lena necat miserum Phryne». — *Sanguineas edat illa dapes*, diras imprecatur lenæ: fames eam cruciet ita, ut crudas carnes edere cogatur. — *Tristia cum multo pocula felle bibat*, siti coacta etiam potum felle mixtum bibat; *tristia*, amara, ut infra II. 4, 12: «tristi tempora felle madent»; Catull. 99, 14: «saviolum tristi tristius helleboro»; Ov. Ex Pont. III. 1, 23: «Tristia per vacuos horrent absinthia campos»; Lucr. IV. 635: «aliis quod triste et amarum, Hoc tamen esse aliis possit prædulce videri». — *Hanc volitent animæ circum sua fata querentes*, umbræ immature mortuorum amantium, quorum mortem lena artibus nefariis acceleravit; cf. Hor. Epod. 5, 91—92. verba pueri, quem saga necare vult: «Quin, ubi perire iussus exspiravero, Nocturnus occurram furor» et Porphyr. ad Hor. Ep. II. 2, 209. de Lemuribus: «umbras vagantes hominum ante diem mortuorum et ideo metuendas». Credebant antiqui manes mortuorum punire eos, a quibus iniuria affecti essent; cf. Liv. III. 58: «Manesque Verginiæ . . . per tot domos ad petendas pœnas vagati nullo relicto sonte tandem quieverunt». — *e tectis strix violenta canat*, cuius cantus funesta portendit, ut etiam bubonis; cf. Verg. Aen. IV. 462—463: «Solaque carminibus ferali carmine bubo Sæpe queri et longas in fletum ducere voces». — *violenta* appellatur strix, quia est avis rapax et infantes in cunis lacerare putabatur; cf. Ov. Fast. VI. 135—140: «Nocte volant puerosque petunt nutricis egentes Et vitiant cunis corpora rapta suis; Carpere dicuntur lac-

tentia viscera rostris Et plenum poto sanguine guttur habent. Est illis strigibus nomen, sed nominis huius Causa, quod horrendum stridere nocte solent». Cf. infra I. 6, 47—48. de sacerdote Bellonæ: «Ipsa bipenne suos cædit *violenta* lacertos Sanguineque effuso spargit inulta deam».

V. 53—58. *fame stimulante*, ut Iuv. Sat. XIII. 84: «stimulante fame festinat ad illam». — *fame*, ultima syllaba producta, ut sæpissime apud poetas, e. g. loco Iuvenalis supra laud. et Lucr. III. 730. — *herbasque sepulcris Quærat*, unde ne pecori quidem herbas carpere licet, ut elucet Ov. Fast. IV. 749—750., ubi sacrilegia pastorum Palilibus expianda enumerat: «Sive sacro pavi sedive sub arbore sacra Pabulaque e bustis inscia carpsit ovis». — *Currat et inguinibus nudis ululetque per urbes*, sc. furore correpta. — *Post agat*, a tergo sequens agat, ut I. 10, 24: «Postque comes»; idem significat I. 2, 67: «victas agat ante catervas» i. e. ante se. — *e triviis*, iunge cum *canum* epitheti modo; lenam sequuntur canes e triviis, i. e. qui in triviis esse solent; cf. supra I. 3, 12: «e triviis puer», i. e. qui in triviis vaticinari solet. In triviis frequentes erant canes vagi, qui vescebantur stercore ibi eiecto, unde Ov. Fast. V. 140: «compita grata cani». — *aspera*, fera. — *Eveniet: dat signa deus*, ut infra II. 1, 25—26: «Eventura precor: viden ut felicibus extis Significet placidos nuntia fibra deos?»; locum imitatur Ov. Ib. 127—128: «Evenient: dedit ipse mihi modo signa futuri Phœbus». — *dat signa deus*, poeta omen se accepisse fingit. — *sunt numina amanti*, sc. propitia. — *Sævit et iniusta lege relicta Venus*, i. e. cum alteruter amantium perfide deserit alterum. — *iniusta lege*, condicione.

V. 59—66. *sagæ præcepta rapacis*, quæ divitem amatorem pauperi præferendum esse monet; talia præcepta

lenæ leguntur apud Prop. IV. 5, 21. sqq. et Ov. Am. I. 8. — *pauper adibit Primus*, primus amatorum in domum tuam veniet, ut te mane salutet. — *in tenero fixus erit latere*, non discedet a latere tuo; cf. Catull. 21, 6: «iocaris una, hæres ad latus» et Ov. Am. III. 11. 17: «Quando ego non fixus lateri patienter adhæsi?» — *Subicietque manus*, sc. bracchio tuo. — *efficietque viam*, idem præcipit Ov. A. A. II. 210: «Ipse fac in turba, qua venit illa, locum». — *Pauper ad occultos furtim deducet amicos*, qui convivium celebrant loco occulto, ubi nemo eos turbare potest. — *occultos furtim*, cumulate dictum, ut infra II. 6, 45—46: «furtimque tabellas Occulto portans itque reditque sinu». — *Vinclaque de niveo detrahet ipse pede*, soleas, quod erat servile officium; antiqui enim sine soleis mensæ accumbere solebant. Idem præcipit Ov. A. A. II. 212: «Et tenero soleam deme vel adde pedi». *Vincla*, ut Verg. Aen. IV. 518: «Unum exuta pedem vinclis».

V. 67—70. *Heu canimus frustra nec verbis victa patescit Ianua*, fingit enim Tibullus se ante ianuam clausam stare et hanc elegiam canere. Est igitur totum carmen quasi παρακλαυσίθυρον (ut Græci hoc genus carminis vocant; cf. Plut. Erot. 8.), cuius exempla sunt apud Romanos Hor. Carm. III. 10, Prop. I. 16. et Ov. Am. I. 6. — *verbis victa . . . ianua*, ut infra I. 2, 9: «Ianua, iam pateas uni mihi victa querelis». Cf. Prop. I. 16, 36: «Victa meis nunquam, ianua, muneribus». — *plena manu*, cf. adn. ad I. 9, 52: «Et pretium plena grande referre manu».

V. 71—76. *potior nunc es*, de rivali feliciore, ut Hor. III. 9, 2—3: «Nec quisquam potior bracchia candidæ Cervici iuvenis dabat» et Epod. 15, 13: «potiori te dare noctes». — *mea fata timeto*, ut Hor. Epod. 15, 17—18. ad rivalem feliciorem: «Et tu, quicumque es felicior atque

meo nunc Superbus incedis malo» et ibid. 23—24: «Eheu translatos alio mærebis amores, Ast ego vicissim risero». — *Versatur celeri Fors levis orbe rotæ*, deam Fortunam globo aut rotæ insistentem fingebant antiqui; cf. Ov. Trist. V. 8, 7—8: «Nec metuis dubio Fortunæ stantis in orbe Numen», Ex Pont. II. 3, 56: «Te fieri comitem stantis in orbe deæ», ibid. IV. 3, 31—32: «Hæc dea non stabili, quam sit levis, orbe fatetur, Quem summum dubio sub pede semper habet». Eadem sententia apud Prop. II. 8, 7—8: «Omnia vertuntur, certe vertuntur amores: Vinceris aut vincis, hæc in amore rota est». — *perstat Sedulus*, assidue stat. — *prospicit ac refugit*, cum videt prætereuntes, refugit, ne ab iis agnoscatur. — *ante ipsas exscreat usque fores*, ut puellæ ex composito significet se ante fores esse; ad hunc versum alludit Ov. Trist. II. 460: «Cur totiens clausas exscreet usque fores». — *utere*, sc. occasione; cf. supra I. 8, 47—48: «At tu, dum primi floret tibi temporis ætas, Utere» et Prop. I. 13, 33—34: «Tu vero, quoniam semel es periturus amore, Utere». — *in liquida nat tibi linter aqua*, proverbialis locutio de opportunitate fortunæ; cf. Ov. Ex Pont. II. 2, 30: «Sed non per placidas it mea puppis aquas» et Prop. II. 4, 19: «Tranquillo tuta descendis flumine cymba». — *liquida*, clara, non turbata, ergo: placida, tranquilla; cf. Ov. Met. I. 369—370. de Cephiso post exundationem in alveum redeunte: «adeunt pariter Cephisidas undas, Ut nondum liquidas, sic iam vada nota secantes»; Prop. III. 21, 14: «Iam *liquidum* nautis aura secundat iter», quem versum ita imitatur Ov. Her. 13, 136: «Blandaque *compositas* aura secundet aquas».

IV.

Lib. I. eleg. 2.

Introductio. Delia nunc iam coniugem* habet (fortasse divitem illum amatorem supra I. 5, 47. commemoratum), qui ei custodiam imposuit. Poeta exclusus frustra vino sopire studet dolorem (1—6). Communi amatorum more precibus aggreditur ianuam duram (7—14.) monetque Deliam, ut custodes audacter fallat: Venerem enim favere amantibus (15—22). Huius rei exemplum proponit se ipsum, qui, cum in tenebris per totam noctem vagetur, tutus sit ab omnibus periculis favore deæ (23—32). Monet etiam eos, qui obviam sibi veniunt, ne se prodere audeant: loquaces enim iram Veneris esse sensuros (33—40). Ceterum, quo minus periculi sit, se a saga quadam carmen magicum accepisse dicit, quod ter a Delia decantatum mentem mariti adeo occæcaturum sit, ut nihil proditoribus credat neque furta videat (41—58). Narrat eandem sagam homines infelici amore liberare posse, sed se amorem Deliæ abicere noluisse (59—64). Opponit se viro cuidam, qui, cum Deliam habere posset, tamen castra et prædas sequi maluerit: se malle in paupertate cum amica vivere, quam sine amore diffluere luxu (65—78). Si Venerem forte læserit ob eamque causam nunc pœnas patiatur, paratum se esse quovis modo deam expiare (79—86). Deinde alloquitur derisores suos: eos enim, qui amores miseros ludibrio habeant, mox potentiam Veneris esse experturos (87—96). In fine orat deam, ut parcat servo suo fidelissimo (97—98).

V. 1—6. *Adde merum*, sc. potioni more veterum ex aqua

* Cf. infra Excurs. V.

vinoque mixtæ, quo fortior fiat, merum addat servus; cf. Lygd. 6, 62: «Tu, puer, i, liquidum fortius adde merum» et Ov. Am. I. 4, 52: «Dumque bibit, furtim, si potes, adde merum». — *novos . . . dolores*, videtur Tibullus, postquam diu puella caruit, sperasse aditum se ad eam inventurum. Qua spe nunc propter custodiam puellæ impositam (cf. vs. 5.) destitutus novos dolores super veteres pati cogitur. — *Occupet ut fessi lumina victa sopor*, ut Ov. Her. 19, 56: «subit furtim lumina fessa sopor». — *lumina victa*, ut Prop. III. 17, 42: «Atque hoc sollicitum vince sopore caput». — *multo percussum tempora Baccho*, multo vino torpidum. — *percussum*, torpidum, attonitum, ut Ov. Rem. 146: «multo tempora quassa mero»; Plaut. Cas. 639: «hæc meraclo se uspiam percussit flore Liberi»; Hor. Sat. II. 1, 24—25: «ut semel icto Accessit ferror capiti numerusque lucernis»; Prop. III. 8, 14: «mænas ut icta»; Græce οἰνοπλήξ, ut apud Antipatrum Anth. Pal. IX. 323, 5. — *tempora*, caput, i. e. mentem, ut infra I. 7, 50: «multo tempora funde mero». Cf. Ov. Rem. 146: «tempora quassa mero» et Prop. III. 17, 13—14: «Quod si, Bacche, tuis per fervida tempora donis Accersitus erit somnus in ossa mea». — *infelix dum requiescit amor*, ut Catull. 2, 8: «cum gravis acquiescit ardor»; cf. Lygd. 6, 3—4. ad Liberum: «Aufer et ipse meum patera medicante dolorem: Sæpe tuo cecidit munere victus amor». — *posita est nostræ custodia sæva puellæ*, ut Ov. Am. III. 4, 1: «imposito teneræ custode puellæ». — *Clauditur et dura ianua firma sera*, ut Prop. I. 16, 17—18: «Ianua vel domina penitus crudelior ipsa, Quid mihi tam duris clausa taces foribus?» — *dura . . . sera*, crudeli, ut I. 8, 76: «ianua dura» et I. 1, 56: «duras . . . ante fores».

V. 7—10. *difficilis*, epitheton cum *ianua* iungendum:

quæ exorari non potest, ut supra I. 9, 20: «Asperaque est illi difficilisque Venus»; cf. Ov. Am. I. 6, 2: «Difficilem moto cardine pande forem». — *dominæ*, sc. meæ, Deliæ. — *verberet imber*, ut Verg. Aen. IX. 669: «Verberat imber humum». — *Iovis imperio*, non iussu Iovis — nam fulmina ab ipso Iove, non iussu eius mittuntur — sed ex imperio sive regno Iovis, i. e. de cælo. Cf. Prop. II. 16, 50: «Fulminaque ætheria desiluisse domo». — *fulmina missa*, ut Ov. Fast. IV. 50: «in Remulum fulmina missa ferunt». — *Ianua, iam pateas uni mihi, victa querelis*, ut supra I. 5, 67—68: «nec verbis victa patescit Ianua». — *Neu furtim verso cardine aperta sones*, ut Ov. Am. I. 6, 49: «Fallimur, an verso sonuerunt cardine postes?» — *furtim*, iunge cum *aperta*, ut Prop. II. 9, 42: «Et furtim misero ianua aperta mihi». — *verso cardine*, iunge cum *sones*, ut Ov. locus supra laud. docet; cf. infra I. 6, 12: «Cardine tunc tacito vertere posse fores».

V. 11—14. *mala si qua tibi dixit dementia nostra*, ut amatores irati solent ianuæ clausæ mala imprecari; cf. Prop. I. 16, 37—38. ad ianuam: «Te non ulla meæ læsit petulantia linguæ, Quæ solet irato dicere tuta loco». — *capiti sint precor illa meo*, in caput meum recidant diræ illæ imprecationes; cf. Senec. Benef. III. 27. infra ad II. 5, 104 («mente fuissa mala») laud. — *quæ plurima voce peregi Supplice*, amatores solebant ianuam clausam puellæ blandis verbis aut carminibus exorare (i. e. παρακλαυσιθύρῳ, cf. adn. supra ad I. 5, 67); vide Ov. A. A. II. 517—518: «Postibus et duræ supplex blandire puellæ» et Prop. I. 16, 41—44. ad ianuam: «At tibi sæpe novo deduxi carmina versu Osculaque impressis nixa dedi gradibus, Ante tuos quotiens verti me, perfida, postes». — *peregi*, peroravi, ut *peragere* causam sive mandatum dicitur pro: perorare;

cf. Prop. IV. 7, 95: «Hæc postquam querula mecum sub lite peregit». — *cum posti florida serta darem*, quibus amatores ianuam pueri delicati aut puellæ ornare solebant; cf. Lucr. IV. 1177: «At lacrimans exclusus amator limina sæpe Floribus et sertis operit»; Catull. 63, 66 (Attis de se): «Mihi floridis corollis redimita domus erat»; Ov. A. A. II. 527—528: «Et capiti demptas in fore pone rosas»; Prop. I. 16. 7. (ianua de se): «Et mihi non desunt turpes pendere corollæ». — *florida serta*, eadem verba supra I. 1, 12; cf. adn. ad h. l.

V. 15—22. *fortes adiuvat ipsa Venus*, vetus est proverbium, quod legitur Terent. Phorm. I. 4, 25: «fortes Fortuna adiuvat». Dictum de Fortuna ad Venerem transtulit Tibullus, quem secutus est Ov. A. A. I. 608: «audentem Forsque Venusque iuvat». — *nova limina temptat*, intrare temptat in domum sibi ignotam; *temptat*, ut Val. Flac. I. 835: «portam temptare». — *Seu reserat fixo dente puella fores* etc., cf. Ov. Am. III. 1, 49—52. de Elegia personificata: «Per me decepto didicit custode Corinna Liminis adstricti sollicitare fidem Delabique toro tunica velata soluta Atque impercussos nocte movere pedes». — *fixo dente*, inserta clavi dentata; cf. Cæs. Germ. Arat. 195—196: «Qualis ferratos subicit clavicula dentes, Succutit et foribus præducti vincula claustri». — *Illa docet molli furtim derepere lecto*, sc. noctu. — *molli . . . lecto*, ut infra vs. 56: «molli . . . toro». — *Illa pedem nullo ponere posse sono*, ut Ov. Am. I. 6, 8. de Amore: «inoffensos dirigit ille pedes». — *Illa viro coram nutus conferre loquaces Blandaque compositis abdere verba notis*, hunc locum imitantur Prop. III. 8, 25—26: «tecta superciliis si quando verba remittis Aut tua cum digitis scripta silenda notas»; Ov. Am. I. 4, 17—20: «Me specta nutusque meos

vultumque loquacem, Excipe furtivas et refer ipsa notas; Verba superciliis sine voce loquentia dicam, Verba leges digitis, verba notata mero» et ibid. II. 5, 15—16: «Multa supercilio vidi vibrante loquentes: Nutibus in vestris pars bona vocis erat» et Her. 17, 81—82: «A quotiens digitis, quotiens ego tecta notavi Signa supercilio pæne loquente dari». — *viro*, coniuge; cf. adn. infra ad vs. 41: «coniunx tuus». — *nutus conferre*, i. e. puella et iuvenes nutus conferunt inter se, ut dicitur: sermonem conferre. — *compositis abdere verba notis*, ut Ov. Am. III. 2, 25: «Verbaque compositis dissimulata notis». — *compositis . . . notis*, de quibus inter puellam et iuvenem ante conventum est; cf. Ovidii præcepta ad amicam de his notis Am. I. 4, 21—28: «Cum tibi succurret Veneris lascivia nostræ, Purpureas tenero pollice tange genas. Si quid erit, de me tacita quod mente loquaris, Pendeat extrema mollis ab aure manus. Cum tibi, quæ faciam, mea lux, dicamve, placebunt, Versetur digitis anulus usque tuis. Tange manu mensam, tangunt quo more precantes, Optabis merito cum mala multa viro».

V. 23—28. *quos nec inertia tardat*, ut Ov. A. A. II. 229: «Amor odit inertes» et 233: «Militiæ species amor est: discedite, segnes». — *Nec vetat obscura surgere nocte timor*, cf. Ov. Am. I. 6, 9—14: «At quondam noctem simulacraque vana timebam, Mirabar, tenebris quisquis iturus erat. Risit, ut audirem, tenera cum matre Cupido Et leviter: «Fies tu quoque fortis» ait. Nec mora, venit amor: non umbras nocte volantes, Non timeo strictas in mea fata manus» et A. A. II. 234: «Non hæc sunt timidis castra tuenda viris». — *En ego cum tenebris tota vagor anxius urbe*, sc. ut ad ianuam amicæ noctu veniam. Excidit pentameter, cuius sensus talis fere erat: Venus me tutum præ-

stat ab omnibus periculis. — *tenebris*, sine præpositione, ut infra I. 6, 57. et II. 1, 76. et Ov. Am. I. 6, 10. — *qui corpora ferro Vulneret*, sc. prædo quidam; cf. Prop. III. 16, 11—12: «Nec tamen est quisquam, sacros qui lædat amantes, Scironis media sic licet ire via»; locum imitatur eleg. I. de obitu Mæc. 29—30 (Bæhrens: PLM. I. p. 130): «Nocte sub obscura quis te violavit amantem? Quis tetigit ferro, durior ipse, latus?» — *præmia . . . petat*, prædam, ut Prop. III. 13, 46. de venatore: «Sive petis calamo præmia sive cane». Nævius Com. vs. 17 ed. Ribbeck (apud Non. c. 150, 22) *præmiatorem nocturnum* vocat prædonem, qui insidiis nocturnis prædam quærit. — *Quisquis amore tenetur, eat tutusque sacerque Qualibet: insidias non timuisse decet*, eadem sententia apud Prop. III. 16, 13—14: «Quisquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris: Nemo adeo, ut noceat, barbarus esse velit». — *sacerque*, ut Prop. III. 16, 11: «sacros amantes». Amatores sacri appellantur, quia Veneris in tutela sunt.

V. 29—32. *Non mihi pigra nocent hibernæ frigora noctis, Non mihi, cum multa decidit imber aqua*, ut Ov. Am. I. 9, 15—16: «Quis nisi vel miles vel amans et frigora noctis Et denso mixtas perferet imbre nives?» — *pigra . . . hibernæ frigora noctis*, quia corpus frigore torpescit; cf. Ov. Am. III. 6, 94: «Quas tibi divitias pigra ministrat hiems»; Verg. Ge. IV. 259. de apibus: «contracto frigore pigræ»; Senec. De ira II. 19, 2: «frigidi mixtura timidos facit, pigrum est enim contractumque frigus». — *multa decidit imber aqua*, ut Ov. Fast. II. 494: «Et gravis effusis decidit imber aquis». Cf. Hor. Carm. III. 10, 19—20. de se ante fores amicæ stante: «Non hoc semper erit liminis aut aquæ Cælestis patiens latus» et Ov. A. A. II. 237. de amatore: «Sæpe feres imbrem cælesti nube solutum». —

reseret . . . postes, ianuam, fores. — *Et vocet ad digiti me taciturna sonum*, sc. Delia digitis concrepans amatori significat se esse post fores et tutum esse introitum.

V. 33—40. *Parcite luminibus*, oculis, i. e. ne adspicite; eadem verba eademque significatio initio hexametri Ov. Met. V. 248. — *fulgenti . . . lumina face*, nolite lumen facis propius admovere, ne amans conspectui hominum exponatur. Agitur de iis, qui noctu in urbe cum facibus ambulant. — *imprudens*, fortuito, non de industria; contra infra I. 6, 29: «prudens» significat: consulto. — *is sanguine natam, Is Venerem* etc.; substantivum ambobus membris commune in secundo positum, de quo cf. adn. supra ad I. 5, 34: «Huic paret atque epulas ipsa ministra gerat». — *sanguine . . . e rabido mari*, sciet sævam esse Venerem. Fabulæ ferunt Venerem ex abscisis Urani genitalibus in mare proiectis esse natam; cf. Hes. Theog. 188. sqq. — *e . . . mari*, ut Ov. Her. 7, 59—60: «quia mater Amorum Nuda Cytheraicis edita fertur aquis». — *rabido*, ut Paneg. in Mess. 72. de Scylla: «Cum canibus rabidas inter fera serperet undas» et Stat. Silv. III. 2, 85: «Lucani rabida ora maris»; cf. Verg. Aen. V. 799—802 (verba Neptuni ad Venerem): «Fas omne est, Cytherea, meis te fidere regnis, Unde genus ducis; merui quoque: sæpe furores Compressi et *rabiem* tantam cælique *marisque*»; Sil. It. Pun. II. 290: «rabies pelagi».

V. 41—46. *coniunx tuus*, non est necessario de marito legitimo cogitandum, sed de amatore, qui Deliam in domo sua habet, nam *coniunx* in poesi erotica et amatorem (ut Verg. Ecl. VIII. 66.) et puellam amatam (ut Verg. Ecl. VIII. 18.) significat. Agitur fortasse de eodem divite amatore, qui supra I. 5, 47—48. commemoratur: «adest huic dives amator, Venit in exitium callida lena

meum». — *verax*, veridica, ut Hor. Carm. Sæc. 25: «veraces cecinisse Parcæ». — *magico . . . ministerio*, auxilio magico, auxilium mihi ferens artibus magicis. — *Hanc ego . . . ducentem sidera . . . Fluminis* etc., ut Apoll. Rhod. Argon. III. 552—553. de Medea: Καὶ ποταμοὺς ἵστησιν ἄφαρ κελαδεινὰ ῥέοντας, Ἄστρα τε καὶ μήνης ἱεροὺς ἐπέδησε κελεύθους et Prop. I. 1, 23—24: «Tunc ego crediderim vobis et sidera et amnes Posse Cytæines ducere carminibus». — *de cælo ducentem sidera*, ut supra I. 8, 22: «Cantus et e curru Lunam deducere temptat»; cf. Hor. Epod. 5, 45—46: «Quæ sidera excantata voce Thessala Lunamque cælo deripit» et ibid. 17, 4—5: «Per atque libros carminum valentium Refixa cælo devocare sidera». — *Fluminis hæc rapidi carmine vertit iter*, ut versus fontem revertatur flumen; cf. Ov. Her. 6, 87. de Medea: «Illa refrenat aquas obliquaque flumina sistit», Am. II. 1, 26: «Inque suos fontes versa recurrit aqua», Med. 40: «Nec redit in fontes unda supina suos», Am. I. 8, 6: «Inque caput liquidas arte recurvat aquas». — *vertit iter*, ut Ov. Ex Pont. IV. 6, 45: «Ister In caput Euxino de mare vertit iter». — *cantu finditque solum manesque sepulcris Elicit*, ut Ov. Am. I. 8, 17—18: «Evocat antiquos proavos atavosque sepulcris Et solidam longo carmine findit humum» et Rem. 253—254: «Me duce non tumulo prodire iubebitur umbra, Non anus infami carmine rumpet humum». — *tepido devocat ossa rogo*, hominem modo crematum excitat, ut Hor. Epod. 17, 79: «Possim crematos excitare mortuos»; locum imitatur Ov. Her. 6, 90: «Certaque de tepidis colligit ossa rogis» et Trist. I, 5, 12: «Ibit et in tepido deseret ossa rogo».

V. 47—52. *tenet . . . infernas . . . catervas*, detinet animas evocatas, ut cum iis colloquatur, ut Hor. Sat. I. 8, 39—40: «quo pacto alterna loquentes Umbræ cum Sagana

resonarint triste et acutum». — *tenet,* detinet, ut maneant; cf. Plin. N. H. XXXVII. 192: «dicunt . . . synochitide teneri umbras mortuorum evocatas». — *magico stridore,* murmure in magia sollemni, ut Ov. Met. VII. 249. et 251. de ritu magico: «Umbrarumque rogat rapta cum coniuge regem . . . Quos ubi placavit precibus et murmure longo»; cf. Sil. It. Pun. VIII. 501—502. de saga Angitia: «stridoribus amnes frenantem». — *iubet aspersas lacte referre pedem,* ut redeant ad inferos; cf. Stat. Theb. IV. 545—547: «Argolicas magis huc appelle precando Thebanasque animas; alios avertere gressus Lacte quater sparsas mæstoque excedere luco, Nata iube». — *æstivo . . . orbe,* cælo, ut Verg. Ge. IV. 426—427: «Ardebat cælo et medium sol igneus orbem Hauserat»; Pseudo-Verg. Cir. 38—39: «candida Lunæ Sidera, cæruleis orbem pulsantia bigis»; Ov. Am. I. 8, 9—10: «Cum voluit, toto glomerantur nubila cælo, Cum voluit, puro fulget in orbe dies». — *tenere,* possidere, ut supra I. 1, 2: «Et teneat culti iugera multa soli». — *malas Medeæ . . . herbas,* erat enim Medea sagarum et veneficarum maxima; cf. infra II. 4, 55: «Quidquid habet Circe, quidquid Medea veneni». — *feros Hecatæ perdomuisse canes,* evocat Hecaten, principem in magia deam, ut sibi responsum det; solebant enim sagæ etiam deos evocare; cf. Plin. N. H. XXXVII. 192: «Anancitide in hydromantia dicunt evocari imagines deorum». Hecate autem canibus infernis comitata apparet, ut Hor. Sat. I. 8, 33—35: «Hecaten vocat altera, sævam Altera Tisiphonen; serpentes atque videres Infernas errare canes» et Verg. Aen. VI. 257—258. de Hecate: «canes ululare per umbram Adventante dea». — *perdomuisse canes,* rabiem canum infernorum placabant placentis mellitis; cf. Suid. s. v. μελιττοῦτα: ἐδίδοτο μελιττοῦτα τοῖς νεκροῖς ὡς ἐς τὸν

Κέρβερον et Verg. Aen. VI. 420. Sibylla Cerbero: «Melle soporatam et medicatis frugibus offam Obicit».

V. 53—58. *cantus*, magicos. — *Ter cane*, sollemnis in magia numerus. — *ter dictis despue carminibus*, faciebant hoc veteres ad mala averruncanda, ad fascinationem et morbos avertendos, ut supra I. 3, 14: «nostras despueretque vias» et infra vs. 96: «Despuit in molles et sibi quisque sinus», ubi vide adn. Cf. Varr. De re rust. I. 2, 27. de magico ritu medendi: «Hoc ter noviens cantare iubet, terram tangere, despuere, ieiunum cantare» et Plin. N. H. XXVIII. 36: «Eadem ratione terna despuere prædicatione in omni medicina mos est atque ita effectus adiuvare». — *in molli viderit ipse toro*, cf. Ov. Her. 4, 145—146: «Tutus eris mecum laudemque merebere culpa, Tu licet in lecto conspiciare meo». — *in molli . . . toro*, ut Ov. Am. II. 4. 14: «Spemque dat in molli mobilis esse toro». — *abstineas aliis*, sc. viris.

V. 59—64. *se dixit amores Cantibus aut herbis solvere posse meos*, ut Verg. Aen. IV. 488. de eadem re: «Hæc se carminibus promittit solvere mentes». — *Cantibus aut herbis*, ut supra I. 8, 23: «Quid queror heu misero carmen nocuisse, quid herbas?» — *me lustravit tædis*, face sult furata ex tæda; cf. Iuv. Sat. II. 157—158: «cuperenlustrari, si qua darentur Sulfura cum tædis» et Claudian. Paneg. Honor. 324: «Lustralem sic rite facem, cui lumen odorum Sulfure cæruleo nigroque bitumine fumat, Circum membra rotat doctus purganda sacerdos». Sulfur purgat infelici amore, ut etiam morbo; cf. supra I. 5. 11. et adn. ad h. l. et Ov. Rem. 260: «Nec fugiet vivo sulfure victus amor». — *nocte serena*, lucente luna, tempore ritibus magicis apto; cf. Hor. Sat. I. 8, 20—22. de sagis: «has nullo perdere possum Nec prohibere modo, simul ac vaga luna

decorum Protulit os, quin ossa legant herbasque nocentes» ; Lucian. Philopseud. c. 14 : αὐξομένην τηρήσας τὴν σελήνην, τότε γὰρ ὡς ἐπιτοπολὺ τὰ τοιαῦτα τελεσιουργεῖται. — *ad magicos . . . deos,* ad aram deorum inferorum, quos in magicis rebus invocabant ; cf. infra II. 5, 22 : «ardentes deos» pro : ardentia templa deorum. — *hostia pulla,* nigra, qualis dis inferis debetur. — *Nec te posse carere velim,* ut infra IV. 6, 19. de puella amante : «Nec, liceat quamvis, sana fuisse velit». — *carere velim,* eadem verba in fine pentametri Ov. Her. 7, 28 : «Et quo, si non sim stulta, carere velim»; cf. etiam Ov. A. A. II. 454 : «Quo sine non possit vivere, posse velit».

V. 65—70. *Ferreus ille fuit, qui te cum posset habere, Maluerit prædas stultus et arma sequi,* similis sententia apud Prop. III. 20, 3 : «Durus, qui lucro potuit mutare puellam». Alludit ad virum quendam, qui Delia relicta ad bella profectus est et nunc in exercitu Messallæ in Cilicia militat ; vide infra vss. 67—68. — *Ferreus ille fuit,* eadem verba in fine pentametri supra I. 10, 2. — *Cilicum victas agat ante catervas,* alludit ad bellum Messallæ in Cilicia, de quo cf. infra I. 7, 13—16. — *agat ante,* sc. ante se, ut Verg. Ge. III. 552 : «Pallida Tisiphone Morbos agit ante Metumque». — *Totus et argento contextus, totus et auro,* cuius sagum auro argentoque intexto ornatum est. — *contextus,* de homine pro veste. — *conspiciendus,* de eo, qui vestibus pulchris indutus spectaculum pulchrum præbet hominibus, ut infra IV. 6, 3—4 : «tibi se lætissima compsit, Staret ut ante tuos conspicienda focos» et II. 3, 52 : «Incedat donis conspicienda meis».

V. 71—74. *boves . . . iungere,* ad aratrum aut plaustrum. — *in solo . . . monte,* solitario, deserto, ut infra IV. 13, 12 : «in solis tu mihi turba locis»; locum ante oculos habuit

Prop. II. 19, 7—8: «Sola eris et *solos* spectabis, Cynthia, *montes* Et *pecus* et fines pauperis agricolæ». — *solo*, ex coniectura Scaligeri; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *dum*, dummodo. — *teneris retinere lacertis*, ut supra I. 1, 46: «dominam tenero continuisse sinu». — *Mollis . . . dura*, antithesis, ut Lygd. 4, 76: «Vincuntur molli pectora dura prece». — *in dura*, ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *dura . . . humo*, ut Prop. III. 15, 16: «caput in dura ponere iussit humo». Cf. Ov. Met. IX. 650—651: «dura positis tellure capillis, Bybli, iaces» et Fast. II. 354: «Membraque de dura vix sua tollit humo».

V. 75—78. *Quid Tyrio recubare toro sine amore secundo*, locum imitatur Prop. I. 14, 15—16: «Nam quis divitiis adverso gaudet amore: Nulla mihi tristi præmia sint Venere» et 19—20. de Venere: «Illa neque Arabium metuit transcendere limen, Nec timet ostrino, Tulle, subire toro». — *Tyrio recubare toro*, purpura Tyria; cf. Verg. Ge. II. 506: «Sarrano dormiat ostro». — *toro*, torus mollis opponitur *duræ humo* vs. 74. — *amore secundo*, felici. — *fletu nox vigilanda venit*, ut Prop. III. 15, 2: «Nec veniat sine te nox vigilanda mihi». — *fletu*, cum fletu, sine præpositione, ut Verg. Aen. III. 664: «dentibus infrendens gemitu» et ibid. I. 519: «templum clamore petebant». — *Nam neque tunc plumæ nec stragula picta soporem . . . ducere posset*, hunc locum ante oculos habuisse videtur Prop. I. 14, 19—22. de Venere: «Et miserum toto iuvenem versare cubili: Quid relevant variis serica textilibus». — *plumæ*, instrumenta luxus; cf. Plin. N. H. X. 54. de pluma: «Eoque deliciæ processere, ut sine hoc instrumento durare iam ne virorum quidem cervices possint». — *stragula picta*, acu picta; cf. Cic. Tusc. V. 21: «Collocari iussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo, textili stragulo magni-

ficis operibus picto». In stragulis dormiebant antiqui; cf. Hor. Sat. II. 3, 117—119: «si et stramentis incubet unde Octoginta annos natus, cui stragula vestis, Blattarum ac tinearum epulæ, putrescat in arca». — *sonitus placidæ . . . aquæ,* silanos intellege, quos in cubiculis habebant divites Romani; cf. Cels. Med. III. 18: «Confert etiam aliquid ad somnum silanus iuxta accidens»; Senec. Ep. 100, 6: «Desit sane . . . concisura aquarum cubiculis interfluentium . . . et quidquid aliud luxuria non contenta decore simplici miscet». Simile est apud Hor. Epod. 2, 27—28: «Fontesque lymphis obstrepunt manantibus, Somnos quod invitet leves». — *ducere,* adducere, ut Hor. Epod. 14, 3: «pocula Lethæos ducentia somnos» et Ep. I. 2, 31: «cessatum ducere somnum» et Carm. III. 1, 21: «somnum reducent».

V. 79—82. *impia lingua,* ut supra I. 3, 52: «dicta in sanctos impia verba deos» et Lygd. 5, 14: «Impia in adversos solvimus ora deos». — *incestus,* scelesto consilio, sacrilegus; agitur enim de raptu sertorum sacrorum; cf. Hor. Carm. III. 2, 29—32: «sæpe Diespiter, Neglectus *incesto* addidit integrum; Raro antecedentem *scelestum* Deseruit pede Pœna claudo». — *Sertaque de sanctis deripuisse focis,* ut infra II. 4, 23: «Aut rapiam suspensa sacris insignia fanis. Sed Venus ante alios est violanda mihi . . . *sacrilegas* sentiat illa manus».

V. 83—86. *Non ego, si merui, dubitem* etc., agitur de ritibus superstitiosis, quibus peccatores deos placare volebant. — *merui,* in malam partem: peccavi; cf. adn. supra ad I. 10, 5: «An nihil ille miser meruit». — *procumbere templis,* dativus: ad templa, i. e. ante fores templi procumbit, ut limina osculetur; cf. Sulpic. Sat. 17: «Glandibus et puræ rursus procumbere lymphæ» et Ov. Ex Pont. II. 2, 124: «Nec licet ante ipsos procubuisse deos»; Prop. III.

17, 1: «advolvimur aris»; Stat. Silv. V. 1, 162—164: «nunc anxius omnibus aris Illacrimat signatque fores et pectore terget Limina»; Lucr. V. 1202: «Nec procumbere humi prostratum et pandere palmas Ante delubra deum». — *tellurem genibus perrepere*, ut Iuv. Sat. VI. 525—526. de femina superstitiosa: «Totum regis agrum nuda ac tremebunda cruentis Erepet genibus»; etiam Cass. Dio XLIII. 21, 2. commemorat: τοὺς ἀναβασμοὺς τοὺς ἐν τῷ Καπιτωλίῳ τοῖς γόνασιν. — *tellurem perrepere*, per tellurem repere, ut Senec. De vit. beat. 27, 1: «genibus per viam repere». — *sancto . . . poste,* i. e. templi.

V. 87 - 92. *non uni sæviet*, non in me unum; dativus, ut Ov. Her. IV. 148: «Qui mihi nunc sævit, sic tibi parcat Amor». — *deus*, pro dea, agitur enim de Venere, ut supra I. 8, 7: «deus crudelius urit» de Venere et infra I. 6, 43: «Sic fieri iubet ipse deus» de Bellona; cf. Verg. Aen. II. 632. de Venere: «ducente deo» et ibid. VII. 498. de Alectone: «Nec dextræ erranti deus afuit». Deus igitur his locis divinum numen sine discrimine sexus significat. — *lusisset,* irrisisset, cavillatus esset. — *Veneris vinclis subdere colla,* ut captivi catenis colla subdere solent; cf. Prop. III. 15, 9—10: «Nec femina post te Ulla dedit collo dulcia vincla meo» et I. 13, 15. de amatore: «Vidi ego te toto vinctum languescere collo». — *Et sibi blanditias tremula componere voce,* præmeditari secum sermones blandos, quibus deinde puellam exoret. — *blanditias,* ut supra I. 1, 71—72: «nec amare decebit, Dicere nec cano blanditias capite». — *tremula . . . voce,* propter senectutem, ut Hor. Carm. IV. 13, 5—6. de anu: «Et cantu tremulo pota Cupidinem Lentum sollicitas»; cf. etiam Hor. Sat. II. 3, 274. de sene amante: «balba feris annoso verba palato». — *manibus canas fingere velle comas,* disponere, ut Ov. A. A. I. 306:

«Quid totiens positas fingis inepta comas?» et Prop. III. 10, 14: «Et nitidas presso pollice finge comas».

V. 93—98. *Stare nec ante fores puduit,* cf. infra II. 1, 73—74. de Amore: «hic dicere iussit Limen ad iratæ verba pudenda senem». — *ante fores . . . caræve puellæ Ancillam,* etiam ad *fores* pertinet genitivus *puellæ;* substantivum ambobus membris commune in secundo positum est, de quo cf. adn. ad I. 5, 34: «Huic paret atque epulas ipsa ministra gerat». — *Ancillam medio detinuisse foro,* ut de puella cum ea loqueretur favoremque eius sibi conciliaret; cf. Ov. Her. 20, 131—132. de Acontio: «Subsequor ancillam furtim famulumque requirens, Profuerint somni quid tibi, quidve cibi» et A. A. II. 251—252: «Nec pudor ancillas, ut quæque sit ordine prima, Nec tibi sit servos demeruisse pudor». — *puer . . . iuvenis,* singularis pro plurali; cf. adn. ad I. 3, 87: «puella». — *turba circum terit arta,* circumstans premit, ut Stat. Silv. I. 2, 237: «Omnis plebeio teritur prætexta tumultu». — *circum,* adverbium, ut supra I. 5, 11: «te circum lustravi»; cf. adn. ad h. l. — *Despuit in molles et sibi quisque sinus,* de more despuendi cf. adn. supra ad vs. 54: «ter dictis despue carminibus». In sinum despuebant antiqui hominem furiosum aut comitiali morbo laborantem videntes, ut contagia regererent; cf. Plin. N. H. XXVIII. 35: «Despuimus comitiales morbos, hoc est contagia regerimus» et Theophr. Charact. 16.: μαινόμενόν τε ἰδὼν ἢ ἐπίληπτον φρίξας εἰς κόλπον πτύσαι. Hoc loco igitur homines circumstantes senem amatorem pro furioso habent. — *in molles . . . sinus,* in sinum vestis molliter undantem. — *semper tibi dedita servit Mens mea,* ut supra I. 3, 57: «facilis tenero sum semper Amori». — *quid messes uris acerba tuas,* cur vexas servum tuum fidelem tibi ipsi damnum afferens? Proverbialis locutio, ut

Hor. Ep. II. 1, 220: «Ut vineta egomet cædem mea». — *acerba*, crudelis, ut infra I. 6, 83—84: «Venus . . . infidis quam sit acerba, monet».

V.

Lib. I. eleg. 6.

Introductio. Poeta eluso coniuge aditum sibi ad Deliam invenit, sed nunc præceptis propriis urgetur: puella enim, quam ipse fallere docuit, plures iam amatores habet (1—14). Hortatur igitur coniugem, ut servet diligenter eam (15—22). Furta sua confitetur suadetque viro, cum ipse puellam satis custodire non possit, ut se assumat custodem (23—42). Terret deinde Deliam superstitiosam oraculo sacerdotis Bellonæ, quæ pœnas ei et amatoribus eius indixerit (43—56). Parcere tamen vult amatæ non propter ipsam, sed propter matrem eius, quæ poetæ favet furtaque eius adiuvat (57—66). Hortatur puellam, ut, quamvis matrona non sit, servet castitatem, sibique ipsi, si suspicionem infidelitatis subierit, duras leges imponit (67—74). In fine ostendit Deliæ, si nihilominus peccare pergat, miserrimam ei in senectute fortunam instare: relictum iri eam ab amatoribus victumque lanificio quæsituram; tali enim pœna Venerem infidas afficere solere (75—84). Se paratum esse eam etiam cano capite amare (85—86).

V. 1—6. *inducar*, decipiar, illiciar; cf. Donat. ad Terent. Andr. I. 2, 9: «induci, ut feræ in retia», cui significationi apte respondet infra vs. 5: «Nam mihi tenduntur casses»; Hor. Sat. I. 2, 88: «emptorem inducat hiantem»; Cic. in Pison. c. 1: «Hic eos, quibus erat ignotus, decepit, fefellit, induxit». — *tristis*, severus, immitis, ut infra II. 3, 33—34:

«cui tristi fronte Cupido Imperat» et IV. 4, 16: «Si quando fuerit tristior illa tibi». — *asper,* crudelis, ut I. 9, 20: «Asperaque est illi difficilisque Venus». — *Quid tibi sævitiæ mecum est,* cur es tam sævus in me; cf. Ov. Fast. IV. 3: «Quid tibi mecum?»; Terent. Adelph. II. 1, 23: «Quid tibi rei mecum est?» — *An gloria magna est Insidias homini composuisse deum?* ut Verg. Aen. IV. 93—95. Iuno ad Venerem: «Egregiam vero laudem et spolia ampla refertis Tuque puerque tuus, magnum et memorabile numen, Una dolo divum si femina victa duorum est». — *Insidias . . . composuisse,* struxisse; cf. Prop. II. 9, 31: «Sed vobis facile est verba et componere fraudes». — *mihi tenduntur casses,* ut Prop. II. 32, 20. ad Cynthiam: «Tendis iners docto retia nota mihi». — *fovet,* sc. sinu; cf. supra I. 8, 30: «Ut foveas molli frigida membra sinu».

V. 7—10. *Illa quidem iurata negat, sed credere durum est: Sic etiam de me pernegat usque viro,* ad hunc locum alludit Ov. Trist. II. 447—448: «Credere iuranti durum putat esse Tibullus, Sic etiam de se quod neget illa viro». — *iurata,* ex coniectura Heynii; vide infra adn. crit. ad h. l. — *durum,* difficile. — *Ipse miser docui, quo posset ludere pacto Custodes: heu heu nunc premor arte mea,* ad hunc locum alludit Ov. Trist. II. 449—450: «Fallere custodem dominam docuisse fatetur (sc. Tibullus) Seque sua miserum nunc ait arte premi». — *docui, quo posset ludere pacto Custodes,* alludit ad elegiam præcedentem (I. 2, 15.): «Tu quoque ne timide custodes, Delia, falle». — *ludere,* eludere. — *premor,* urgeor, crucior, ut Ov. Am. II. 18, 20: «Ei mihi, præceptis urgeor ipse meis» et ibid. 19, 34: «Ei mihi, ne monitis torquear ipse meis».

V. 11—14. *sola cubaret,* ut Ov. Am. II. 19, 42. de adultera: «Cur totiens vacuo secubat ipsa toro?» — *Cardine*

tunc tacito vertere posse fores, cf. supra I. 2, 10: «Neu furtim verso cardine aperta sones». — *Tunc sucos herbasque dedi, quis livor abiret, Quem facit impresso mutua dente Venus,* ad hunc locum alludit Ov. Trist. II. 455—456: «Et quibus e sucis abeat de corpore livor, Impresso fieri qui solet ore, docet». Cf. Prop. III. 8, 21—22: «Immorso æquales videant mea vulnera collo: Me doceat livor mecum habuisse meam». — *sucos herbasque,* ut Ov. Rem. 528: «Auxilium multis sucus et herba fuit». — *impresso ... dente,* ut supra I. 8, 38: «in collo figere dente notas». — *mutua . . . Venus,* cogitandum de voluptate concubitus. Aliud est infra vs. 76: «Mutuus absenti te mihi servet amor». Venus enim plerumque ipsum concubitum, amor affectum animi significat. Cf. supra I. 8, 35: «At Venus inveniet puero concumbere furtim», ibid. 57: «Nota Venus furtiva mihi est»; I. 9, 76: «Venerem iungere»; infra IV. 3, 18: «Veneris cupidæ gaudia» et IV. 13, 2: «Hoc primum iuncta est fœdere nostra Venus».

V. 15—20. *At tu, fallacis coniunx incaute puellæ, Me quoque servato, peccet ut illa nihil,* ad hunc locum alludit Ov. Trist. II. 457—458: «Denique ab incauto nimium petit ille marito, Se quoque uti servet, peccet ut illa nihil». — *fallacis coniunx incaute puellæ,* cf. Ov. Am. II. 19, 37: «At tu formosæ nimium secure puellæ». — *servato,* custodito. — *iuvenes celebret multo sermone,* ne sæpius diuque confabuletur cum iuvenibus; *celebrare* iteratum aditum significat: frequentare, ut supra I. 4, 75: «vos me celebrate magistrum»; cf. adn. ad h. l. — *cubet,* sc. in convivio. — *laxo pectus aperta sinu,* locum imitatur Ov. Her. 15, 122: «eram lacero pectus aperta sinu» et Fast. I. 408: «Altera dissuto pectus aperta sinu»; cf. etiam Ov. Her. 16, 247: «Prodita sunt (memini) tunica tua pectora laxa»; Prop. IV.

4, 72: «Strymonis excusso fertur aperta sinu» et II. 22, 8: «Candida non tecto pectore si qua sedet». — *Nec te decipiat nutu digitoque liquorem Ne trahat et mensæ ducat in orbe notas,* ad hunc locum alludit Ov. Trist. II. 453—454: «Utque refert, digitis sæpe est nutuque locutus Et tacitam mensæ duxit in orbe notam»; imitatur Ov. Am. I. 4, 19—20: «Verba supercilio sine voce loquentia dicam, Verba leges digitis, verba notata mero». — *te decipiat nutu,* ut supra I. 2, 20: «viro coram nutus conferre loquaces». — *liquorem,* vinum, ut Ov. A. A. I. 571—572: «Blanditiasque leves tenui perscribere vino, Ut dominam in mensa se legat illa tuam», Am. II. 5, 17—18: «conscriptaque vino Mensa», Her. 17, 87—88: «Orbe quoque in mensæ legi sub nomine nostro, Quod deducta mero littera fecit: Amo». — *mensæ . . . in orbe,* in mensa rotunda. — *ducat . . . notas,* ut Ov. Ex Pont. IV. 2, 24: «Ducitur et digitis littera rara meis» et Her. 17, 88: «deducta littera».

V. 21—24. *Exibit,* sc. domo. — *seu visere dicet Sacra Bonæ maribus non adeunda deæ,* sacris Bonæ Deæ interesse viro non licebat, sed feminæ sæpe abutebantur iis ad libidines explendas et ad maritos fallendos; cf. Ov. A. A. III. 637—638: «Cum fuget a templis oculos Bona Diva virorum, Præterquam si quos illa venire iubet» et de libidinibus mulierum in iis sacris Iuv. Sat. 6, 314—334. — *seu,* vel si, ut infra II. 4, 43: «Seu veniet tibi mors», Prop. II. 26, 29 (ubi tamen interpretes nonnulli primum *seu* excidisse putant) et *sive* apud Pers. Sat. I. 67; rarior usus. — *maribus non adeunda,* de eadem re Lygd. 5, 7—8: «Non ego temptavi nulli temeranda virorum Audax laudandæ sacra docere deæ». — *Tunc mihi non oculis sit timuisse meis,* credebant enim virum, qui sacra Bonæ Deæ adspexisset, lumine orbari, ut Prop. IV. 9, 53—58. docemur. —

mihi non . . . sit timuisse, non accidat mihi, ut timeam, i. e. non verebor cæcitatem, ut infra IV. 3, 3: «Nec tibi sit duros acuisse in prœlia dentes»; cf. Verg. Ecl. 10, 46: «Nec sit mihi credere»; Prop. I. 20, 13—14: «Ne tibi sit . . . expertos semper adire lacus» et III. 3, 41: «Nil tibi sit rauco præconia classica cornu Flere»; Ov. A. A. I. 619: «Blanditiis animum furtim deprendere tunc sit»; Sil. Ital. Pun. VI. 489: «mihi sit Stygios ante intravisse penates, Talia quam videam».

V. 25—30. *Sæpe velut gemmas eius signumque probarem, Per causam memini me tetigisse manum,* ad hunc locum alludit Ov. Trist. II. 451—452: «Sæpe velut gemmas eius signumve probaret, Per causam meminit se tetigisse manum». — *gemmas . . . signumque,* gemmas anulorum signaque in iis expressa; cf. Plaut. Asin. IV. 1, 33. de puella: «Spectandum ne quoiquam anulum det neque roget». — *probarem,* examinarem; cf. Lygd. 4, 6: «Vera monent Tuscis exta probata viris». — *Per causam,* κατὰ πρόφασιν, ut Ov. Her. 20, 139—140: «Dumque suo temptat salientem pollice venam, Candida per causam bracchia sæpe tenet»; cf. Tac. Hist. I. 71: «per speciem». — *Sæpe mero somnum peperi tibi,* ut Ov. Am. I. 4, 52. de marito: «Dumque bibit, furtim, si potes, adde merum». — *Sobria . . . pocula*, quia aqua inerat; cf. infra II. 1, 46: «Mixtaque securo est sobria lympha mero». Tibullum imitatur Stat. Silv. V. 1, 121: «Ipsa dapes modicas et sobria pocula tradit». — *supposita . . . aqua*, furtim infusa. — *victor,* in certamine bibendi. — *Non . . . prudens*, non consulto, sed mente ab Amore turbata; cf. supra I. 2, 37: «Si quis et imprudens aspexerit» et adn. ad h. l.

V. 31—36. *Ille ego sum . . . Instabat tota cui tua nocte canis,* ad hunc locum alludit Ov. Trist. II. 459: «Scit, cui

latretur, cum solus obambulat ipse»; imitatur Ov. Am. II. 19, 40: «Quærere, quid latrent nocte silente canes». — *Instabat,* latratu persequebatur. — *canis,* de cane puellarum custode cf. infra II. 4, 32: «Et cœpit custos liminis esse canis» et Prop. IV. 5, 71: «Et canis in nostros nimis experrecta dolores». — *Servare,* ultima syllaba producta propter consonantes sequentes; cf. supra I. 5, 28: «Pro segete spicas» et adn. ad h. l. — *clavis inest foribus,* de eadem re infra II. 4, 31: «hinc clavim ianua sensit». — *tenet,* amplectitur, ut supra I. 5, 39: «Sæpe aliam tenui»; cf. adn. ad h. l. — *alios suspirat amores,* suspirat (gemit), alium amantem desiderans; *suspirare* cum accusativo, ut infra IV. 5, 11: «Quod si forte alios iam nunc suspiret amores» et Iuv. Sat. XI. 153: «Suspirat longo non visam tempore matrem». — *amores,* iuvenem amatum significat, ut infra IV. 3, 19: «meo furtim subrepit amori» i. e. iuveni a me amato; eodem modo supra I. 3, 81., necnon infra IV. 5, 17. et II. 4, 47 *(amores)* et II. 4, 4. *(amór)* de puella amata. — *simulat . . . condoluisse caput,* ut gemitum excuset marito; cf. Ov. Am. I. 8, 73: «Sæpe nega noctem, capitis modo finge dolorem». — *condoluisse,* ut Plaut. Truc. I. 8, 2: «Nunc mihi de vento miseræ condoluit caput».

V. 37—42. *non sæva recuso Verbera, detrecto non ego vincla pedum,* offero tibi servi puellam custodientis officia neque pœnas serviles recuso; cf. II. 3, 79—80: «ad imperium dominæ sulcabimus agros: Non ego me vinclis verberibusque nego». — *sæva . . . Verbera,* pœna servilis, ut supra I. 9, 22: «intorto verbere terga seca» et Ov. Her. 20, 77: «Utque solent famuli, cum verbera sæva verentur». — *vincla pedum,* servi pœnæ causa sæpe vinciebantur compedibus; cf. Ov. Am. II. 2, 47—48. de servo puellæ custode: «Vidi ego compedibus liventia crura gerentem, Unde vir

incestum scire coactus erat». — *absitis*, alloquitur homines delicatulos, qui capillorum cultu et vestitus elegantia favorem puellarum sibi conciliant. — *fluit effuso cui toga laxa sinu*, togam laxam gestabant homines elegantiores, ut infra II. 3, 78. de eadem re: «Me miserum, laxam quid iuvat esse togam?»; cf. Hor. Epod. 4, 7—8: «sacram metiente te viam Cum bis trium ulnarum toga» et Ov. Rem. 680: «Nec toga sit laxo conspicienda sinu». Contra toga arta erat signum simplicitatis et modestiæ; cf. Hor. I. 18, 30: «Arta decet sanum comitem toga» et ibid. 19, 13: «Exiguæque togæ simulet textore Catonem». — *fluit*, undat, ut Catull. 64, 68: «fluitantes amictus» et Verg. Aen. I. 320: «sinus fluentes». — *effuso . . . sinu*, ut supra I. 3, 38. de velo: «Effusum ventis præbueratque sinum». — *occurret*, in viis, ut supra I. 2, 33—34: «Parcite luminibus, seu vir seu femina fiat Obvia». — *ne possit crimen habere*, crimen est enim temptare puellam, quam, ut ex vs. 51. elucet, Amor ipse custodit. — *se occulat*, ex coniectura Rabi; cf. infra adn. crit. ad h. l.

V. 43—46. *ipse deus*, divinum numen sine discrimine sexus, ut docuimus supra in adn. ad I. 2, 88: «non uni sæviet usque deus». Intellege Bellonam, cuius impulsu sacerdos vaticinatur; cf. infra vs. 45: «Hæc ubi Bellonæ motu est agitata» et vs. 50: «canit eventus, quos dea magna monet». — *magna sacerdos*, sc. Bellonæ. — *divino*, fatidico, ut Verg. Aen. III. 373: «canit divino ex ore sacerdos». — *Bellonæ*, dea Cappadociæ, nomine *Mâ* (Strab. XII. 535.), quam Romani cum Bellona sua confundebant. Cultus eius fanaticus tempore belli Mithridatici Romam delatus est. — *motu*, instinctu, ut Ov. Met. VI. 158. de vate: «divino concita motu». — *nec* et sq. vs. *non* pro solito *non-nec*, ut Prop. III. 2, 11—12: «*Nec mea Phæacas*

æquant pomaria silvas, Non operosa rigat Marcius antra liquor»; similiter Græce οὔτε—οὐ, e. g. Herod. VIII. 98: τοὺς οὔτε νιφετὸς οὐκ ὄμβρος, οὐ καῦμα, οὐ νὺξ ἔργει. — *acrem Flammam . . . verbera,* igne et verberibus se cruciat. — *amens,* furens. — *verbera torta,* flagellum; cf. supra adn. ad I. 9, 22: «intorto verbere».

V. 47—50. *bipenne suos cædit violenta lacertos Sanguineque effuso spargit inulta deam,* unde apud Hor. Sat. II. 3, 223: «gaudens Bellona cruentis». — *inulta,* sine damno suo; cf. infra II. 5, 63—64. Sibylla de se: «sic usque sacras *innoxia* laurus Vescar». — *deam,* signum deæ. — *latus præfixa veru,* locum rectissime explicat Heyne: cutem a sagina diductam traicit tenui lanceola, ut ea transversa præ latere stet, quod hodieque faciunt præstigiatores. Nam sacerdotes Bellonæ non serio se vulnerasse docet Lamprid. in Vit. Commodi 9: «(Commodus) Bellonæ servientes vere exsecare bracchium præcepit studio crudelitatis». — *canit eventus,* eventura, ut I. 8, 4: «Præcinit eventus».

V. 51—56. *Parcite . . . violare,* nolite violare, ut Lygd. 5, 6: «Immerito iuveni parce nocere, dea». — *violare,* tangere, tamquam sacram; est enim Amor ipse custos eius. — *post didicisse,* sc. puellam ab Amore custodiri. — *Attigerit, labentur opes,* si quis eam attigerit, opes eius dilabentur; *si* omissum, ut infra II. 6, 53—54: «satis anxia vives, Moverit e votis pars quotacumque deos»; cf. Ov. Trist. I. 11, 25: «Attigero portum, portu terrebor ab ipso». — *ut vulnere nostro Sanguis,* sc. labitur. — *hic . . . cinis,* sc. in ara deæ. — *diripiturque,* coniunctio *-que* post quartum verbum sententiæ; cf. adn. supra ad I. 10, 51: «Rusticus e lucoque». — *Et tibi nescio quas dixit . . . poenas,* sc. si infidelis eris. — *admittas,* sc. culpam, si tamen pecces i. e. infidelis sis mihi. — *illa,* sc. pœna.

V. 57—62. *tua mater . . . anus*, de qua supra I. 3, 83—84: «sanctique pudoris Adsideat custos sedula semper anus». — *tenebris*, ablativus simplex, ut supra I. 2, 25; cf. adn. ad h. l. — *foribus . . . adfixa*, sine intermissione ibi manens, ut supra I. 3, 87: «pensis adfixa»; cf. adn. ad h. l. — *manet . . . me*, ut intromittat.

V. 63—66. *proprios ego tecum . . . annos contribuisse velim*, meos annos cum tuis coniungere i. e. annos fato mihi datos addere annis tibi datis, ut diutius vivas; *contribuere* cum aliquo, ut Cæs. B. C. I. 60, 1: «Calagurritani, qui erant cum Oscensibus contributi» i. e. eidem iurisdictioni subiecti; usitatior est dativus, ut Senec. De brev. vit. 15, 1: «horum nemo annos tuos conterit; suos tibi contribuit». — *sanguis*, ultima syllaba producta, ut sæpius apud poetas.

V. 67—72. *Sit modo casta*, mihi fidelis; cf. I. 3, 83: «At tu casta, precor, maneas» et adn. ad h. l. — *quamvis non vitta ligatos Impediat crines nec stola longa pedes* quamvis non sis matrona, sed libertina. Nam matronæ vittam, longam stolam cum instita et pallam gestabant, libertinæ et meretrices tunicam breviorem et togam; cf. Ov. Fast. IV. 133—134: «Rite deam Latiam colitis matresque nurusque Et vos, quis vittæ longaque vestis abest», A. A. I. 31—32: «Este procul vittæ tenues, insigne pudoris, Quæque tegis medios, instita longa, pedes», Ex Pont III. 3, 49—52: «Scis tamen, ut liquido iuratus dicere possis Non me legitimos sollicitasse toros: Scripsimus hæc (sc. Artem amandi) illis, quarum nec vitta pudicos Contingit crines, nec stola longa pedes»; de toga muliebri cf. infra IV. 10, 3—4. apud Sulpiciam: «Sit tibi cura togæ potior pressumque quasillo Scortum» et Hor. Sat. I. 2, 62—63: «Quid inter Est in matrona, ancilla peccesne togata». — *vitta ligatos Impediat crines*, quia matronæ vitta circum-

dabant caput. — *Impediat,* circumdet, contineat, ut Hor Carm. I. 4, 9: «caput impedire myrto». — *stola longa,* erat tunica longa ad pedes demissa, cum instita in ima parte; cf. Hor. Sat. I. 2, 29: «Quarum subsuta talos tegit instita veste» et ibid. 99: «Ad talos stola demissa et circumdata palla». — *laudare nec ullam,* sc. feminam. — *quin oculos appetat illa meos,* ut Ov. Am. II. 7, 7: «Si quam laudavi, miseros petit ungue capillos» et Prop. IV. 8, 66. de Cynthia: «Præcipueque oculos, qui meruere, ferit». — *in medias proripiarque vias,* ut Cic. Verr. II. 5, 161: «hominem proripi (iubet) atque in medio foro nudari». — *in medias,* ex coniectura Rothsteinii; cf. infra adn. crit. ad h. l. et Prop. III. 8, 14: «Seu sequitur medias, mænas ut icta, vias» et ibid. 16, 30: «Non iuvat in media nomen habere via». — *proripiarque,* de collocatione coniunctionis *-que* cf. adn. supra ad I. 10, 51: «Rusticus e lucoque».

V. 73—76. *optarim non habuisse manus,* ut Ov. Am. I. 7, 23. de eadem re: «Ante meos humeris vellem cecidisse lacertos». — *Incolumem custos te mihi servet amor,* ut Prop. I. 18, 35: «Ipse tuus semper tibi sit custodia lectus».

V. 77—80. *victa senecta,* confecta et turpata, cum iam nullos invenire potest amatores, qui eam ob inopia defendant. — *Ducit inops tremula stamina torta manu,* paupertate coacta nendo victum quærit. — *Ducit . . . stamina torta,* stamina de colo deducit et digitis torquet; cf. supra I. 3, 86: «Deducit plena stamina longa colu». — *Firmaque conductis adnectit licia telis,* mercede conducta texit. Licium enim est subtemen (Hungarice *bélfonál,* Germanice *Einschlag),* quod textores per stamina telæ ope radii (Hung. *vetélő,* Germ. *Weberschiffchen)* in transversum ducunt. — *adnectit licia telis,* ut Verg. Ge. I. 285: «licia

telæ addere». — *Tractaque de niveo vellere*, i. e. manipulos lanæ, e lana constantes; est enim *tractum* (hoc loco substantivum) manipulus lanæ, qui per dentes carminis (Hung. *gereben*, Germ. *Krämpel)* trahitur et ita purgatur. Hoc significat *trahere* lanam, ut in fragm. Varr. apud Non. p. 543, 12: «simul manibus trahere lanam nec non simul oculis observare ollam pultis, ne aduratur» et Ov. Met. II. 411: «lanam mollire trahendo». Cf. Varr. Sat. Menipp. 325 (ed. Buecheler): «lanea tracta ministrasset infectori». — *ducta putat*, i. e. ducendo putat, per dentes carminis ducens purgat, carminat (Hung. *gerebelni*, Germ. *krämpeln)*. Cf. Titinii fragm. apud Non. p. 369, 25: «da pensam lanam: qui non reddet temperi putatam, recte facito, ut multetur malo»; Varr. De re rust. II. 2, 18: «ne lana inquinetur, quo minus vel infici recte possit vel lavari ac putari». Lanificium, textus et carminatio, ut hoc loco Tibulli, una commemorantur Ov. Met. IV. 34—35: «Aut *ducunt* lanas (i. e. per dentes carminis trahunt) aut stamina pollice versant Aut hærent telæ».

V. 81—86. *Hanc animo gaudente vident iuvenumque catervæ Commemorant*, verbum ambobus membris commune in secundo positum; cf. adn. supra ad I. 5, 34: «Huic paret atque epulas ipsa ministra gerat». — *senem*, de femina; rarior usus, ut Val. Flac. I. 349. et Stat. Theb. V. 149. — *sublimis*, superba, ut Ov. Her. 9, 129: «Dat vultum populo sublimis ut Hercule victo». — *acerba*, crudelis, ut supra de Venere I. 2, 98: «Quid messes uris, acerba, tuas». — *aliis maledicta cadant*, in caput aliorum cadant; cf. supra I. 2, 11—12: «Et mala si qua tibi dixit dementia nostra, Ignoscas: capiti sint precor illa meo» et adn. ad h. l.

IN NATALEM MESSALLÆ.

Lib. I. eleg. 7.

Introductio. Messallæ diem natalem celebraturus orditur a victoria Aquitanica ante aliquot annos hoc ipso die reportata, narrat triumphum enumeratque regiones Galliæ ab eo pacatas (1—12). Transit mox ad ceteras res Messallæ in Cilicia, Syria, Phœnicia et Aegypto gestas (13—22.) factaque Nili mentione, exundatione sua Aegyptum fertilem reddentis, deducit orationem ad Osiridem, deum Aegypti, quem Græci cum Baccho suo confundebant, eumque, inventorem agriculturæ, multis verbis laudat (23—48). Deinde ad diem natalem revertens invocat Osiridem sive Bacchum, lætitiæ datorem, ut veniat ad Genium Messallæ celebrandum oratque Genium ipsum, ut sacris suis propitius adsit (49—54). Tum ad futurum tempus conversa oratione optat Messallæ, ut filios habeat illustres (55—56.) gratulaturque ei viam Latinam munienti laudemque populi ob id promerenti (57—62). Precatur denique, ut dies natalis amici semper felicior revertatur (63—64).

Messalla triumphum egit a. d. VII. Kal. Oct. a. 27. a. Chr. n.; cf. CIL 1. p. 461. Scripta est elegia paulo post hunc triumphum in diem natalem Messallæ.

V. 1—4. *Hunc cecinere diem* etc., constructio est talis: hunc diem vaticinatæ sunt Parcæ et prædixerunt, hunc

diem fore, qui Aquitanas gentes fundere posset. Cum eodem enim verbo *(cecinere)* primum simplex accusativus *(hunc diem)*, deinde accusativus cum infinitivo *(hunc fore* vs. 3.) iungitur. — *cecinere Parcæ,* quæ pueri modo nati fata prædicere solent, ut infra IV. 5, 3—4: «Te nascente novum Parcæ cecinere puellis Servitium»; cf. Hygin. Fab. 171: «Cum esset natus Meleager, subito in regia apparuerunt Parcæ, Clotho, Lachesis, Atropos, cui fata ita cecinerunt». — *diem,* i. e. diem natalem Messallæ. — *fatalia nentes Stamina,* locum imitatur Ov. Met. VIII. 453: «Staminaque impresso fatalia pollice nentes» et Trist. V. 3, 25—26: «Scilicet hanc legem nentes fatalia Parcæ Stamina bis genito bis cecinere tibi»; cf. Lygd. 3, 35—36; «tristesque sorores, Stamina quæ ducunt quæque futura neunt». — *non ulli dissoluenda deo,* quia fatum ne dii quidem mutare possunt; cf. Ov. Trist. V. 3, 17—18: «An dominæ fati quidquid cecinere sorores, Omne sub arbitrio desinit esse dei»? — *dissoluenda,* quinque syllabæ, ut supra I. 10, 62: «Sit satis ornatus dissoluisse comæ» et infra vs. 40: «Pectora lætitiæ dissoluenda dedit». — *Hunc fore,* hunc diem fore. Messalla igitur ipso natali suo Aquitanos pugnando devicit, quod Timoleonti sæpius contigisse docet Corn. Nep. Timol. c. 5: «Nam prœlia maxima natali suo die fecit omnia, quo factum est, ut eius diem natalem festum haberet universa Sicilia». — *Aquitanas posset qui fundere gentes,* poetice diei tribuitur, quod factum est eo die, ut Pindar. Pyth. IX. 68: κεῖνο κεῖν' ἆμαρ διαίτασεν; Hor. Carm. III. 8, 9: «Hic dies anno redeunte festus Corticem adstrictum pice dimovebit Amphoræ». — *Aquitanas . . . gentes,* in Gallia; cf. Cæs. B. G. I. 1, 7: «Aquitania a Garumna flumine ad Pyrenæos montes et eam partem Oceani, quæ est ad Hispaniam, pertinet». — *Quem tremeret . . . Atax,*

fluvio tribuit, quod accidit accolis fluvii, ut Verg. Aen. VI. 800. de Augusto: «Huius in adventum . . . septemgemini turbant trepidi ostia Nili». — *Atax,* fluvius in Gallia Narbonensi, hodie *Aude.* Pugna igitur commissa est ad Atacem.

V. 5—8. *Evenere,* ut supra I. 5, 57: «Eveniet». — *pubes Romana,* populus Romanus, ut infra vs. 27: «pubes barbara»; cf. Paul. Fest. s. v. (p. 335. ed. Thewrewk): «Pube præsente est populo præsente συνεκδοχικῶς ab his, qui puberes sunt, omnem populum significans» et Plaut. Pseud. I. 1, 123: «Nunc, ne quis dictum sibi neget, dico omnibus, pube præsenti, in concione». — *evinctos bracchia capta duces,* duces captos manibus post terga vinctis; cf. Hor. Ep. II. 1, 191: «Mox trahitur manibus regum fortuna retortis» et Ov. Am. I. 2, 31. de triumpho Amoris: «Mens Bona ducetur manibus post terga retortis». *Evinctos bracchia,* ut Prop. III. 24, 14: «Vinctus eram versas in mea terga manus»; *evinctos,* ut Verg. Aen. V. 364: «evinctæ palmæ» et Sil. It. Pun. II. 48: «evincta dextra» et Ov. Ex Pont. III. 2, 72: «Evincti geminas ad sua terga manus». — *bracchia capta,* ut Ov. Trist. IV. 2, 21: «Vinclaque captiva reges cervice gerentes». — *victrices lauros,* triumphalem coronam, ut infra II. 5, 5: «triumphali devinctus tempora lauro»; cf. Verg. Ecl. 8, 13: «Inter victrices hederam tibi serpere laurus». — *niveis . . . equis,* quattuor equi albi trahebant currum triumphatoris; cf. Ov. A. A. I. 214: «Quattuor in niveis aureus ibis equis». — *currus eburnus,* currus triumphalis ebore et auro erat ornatus.

V. 9—12. *Non sine me est tibi partus honos,* quia Tibullus comes erat Messallæ in bello Aquitanico; cf. Vit. Tib. in codicibus serv.: «cuius et contubernalis Aquitanico bello militaribus donis donatus est». — *Tarbella* etc., enume-

rantur Galliæ regiones, quas Messalla Tibullo comitante peragravit. — *Tarbella Pyrene,* montes Pyrenæi, quorum latus septentrionale versus litus Oceani Atlantici situm accolebant Tarbelli. *Pyrene,* Pyrenæi montes, ut Lucan. I. 689; prima syllaba hoc loco brevis, ut Lucan. IV. 83: «Pyrenæus», plerumque longa. — *Oceani Santonici,* pars Oceani, quam accolebant Santones, gens in ripa Garunnæ septentrionali sita. Terra vocatur hodie *Saintonge.* — *Arar,* hodie *Saône;* cf. Cæs. B. G. I. 12: «Flumen est Arar, quod per fines Hæduorum et Sequanorum in Rhodanum influit incredibili lenitate». — *Rhodanus,* hodie *Rhône.* — *Garunna,* hodie *Garonne;* magnus, quia latissimo ore in Oceanum influit. — *Carnutis,* Carnutes incolebant regionem oppidi Genabi (hodie *Orleáns).* — *flavi,* nam, ut Liv. XXXVIII. 17. dicit: «Candidi pæne Galli sunt omnes et rutili»; cf. Claudian. De laud. Stilich. II. 240: «flava Gallia». — *Liger,* hodie *Loire.*

V. 13—16. *An te, Cydne, canam,* alludit ad expeditionem Messallæ in Cilicia, ut supra I. 2, 67: «Ille licet Cilicum victas agat ante catervas». — *Cydne,* fluvius Ciliciæ. — *tractis qui leniter undis Cæruleus placidis per vada serpis aquis,* tarditatem et purum colorem fluvii laudat, ut Curt. III. 4, 8., qui Tibulli locum ante oculos habuisse videtur: «Cydnus non spatio aquarum, sed liquore memorabilis: quippe *leni tractu* e fontibus labens puro solo excipitur nec torrentes incurrunt, qui *placide manantis alveum* turbent: itaque incorruptus . . . ubique fontibus suis similis in mare evadit». — *tractis . . . leniter undis,* abl. abs.: undas tarde trahens, ut dicitur: pedes sive vestigia trahere; cf. Curt. Ruf. III. 4, 8: «Cydnus . . . leni tractu . . . labens» et ibid. 1, 3: «(Marsyas amnis) diffusus circumiectos rigat campos liquidus et suas duntaxat undas trahens». Ceterum

tractis est mea coniectura; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *leniter,* de cursu fluminis tardo, ut Cæs. B. G. I. 12: «Arar . . . in Rhodanum influit incredibili lenitate». — *Cæruleus* est fluvius, quia puram et placidam aquam habet, ut Curtii locus supra laud. docet. Cf. Ov. A. A. II. 204: «lucide Cydne». — *per vada,* per alveum, ut Ov. Met. I. 369—370: «adeunt pariter Cephisidas undas, Ut nondum liquidas, sic iam vada nota secantes», ubi agitur de fluvio post exundationem in alveum redeunte. — *serpis,* i. e. tarde fluis. — *Quantus . . . alat,* quantum se attollens in altum; cf. Verg. Aen. III. 641—642: «Nam qualis quantusque cavo Polyphemus in antro Lanigeras claudit pecudes». — *ætherio . . . vertice,* in cælum nitente; ingentem Tauri altitudinem significat. Cf. Verg. Aen. IV. 445—446. de arbore: «vertice ad auras Aetherias tendit». — *intonsos . . . Cilicas,* incultos et feros, ut Ov. Am. II. 16, 39: «Cilicas feros»; cf. Ov. Ex Pont. IV. 2, 2: «Venit ab intonsis usque, Severe, Getis»; Liv. XXI. 32, 7. de incolis Alpium: «homines intonsi et inculti». — *Taurus alat,* quia mons Taurus bona pascua et fertiles convalles habet, teste Strab. XII. p. 569.

V. 17—22. *Quid referam* etc., alludit ad res Messallæ in Syria gestas, quas etiam Dio Cass. LI. 7, 7. commemorat. — *celebres . . . urbes,* frequentes incolis; *celebres,* ex coniectura Postgatii; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *intacta . . . Palæstino sancta columba Syro,* piscis et columba erant animalia sacra Syrorum; cf. Xen. Anab. I. 4, 9: ἐξελαύνει ἐπὶ ποταμὸν πλήρη ἰχθύων μεγάλων καὶ πραέων, οὓς οἱ Σύροι θεοὺς ἐνόμιζον καὶ ἀδικεῖν οὐκ εἴων, οὐδὲ τὰς περιστεράς; Lucian. De dea Syr. c. 14. — *intacta,* quia columbam ne tangere quidem audebant Syri; cf. Lucian. De dea Syr. 54: ὀρνίθων τε αὐτέοισι περιστερὴ χρῆμα ἱρότατον καὶ οὐδὲ ψαύειν

αὐτέων δικαιεῦσι· καὶ ἣν ἀέκοντες ἅψωνται, ἐναγέες ἐκείνην τὴν ἡμέρην εἰσί. — *Palæstino . . . Syro*, Syriæ adnumerabantur etiam Palæstina et Phœnicia; cf. Plin. N. H. V. 66. Non est de Iudæis cogitandum, quibus columba non erat sacra; aliter Ovidius, qui hoc nomen ad Iudæos transtulit A. A. I. 416: «Culta Palæstino septima festa (i. e. sabbata) Syro» et ibid. 76: «Cultaque Iudæo septima sacra Syro». — *Utque maris vastum prospectet turribus æquor . . . Tyros*, cf. Hor. Ep. I. 10. 23: «Laudaturque domus, longos qui prospicit agros». — *turribus*, domibus altis, ut Hor. Carm. I. 4, 13—14: «Pallida Mors æquo pulsat pede pauperum tabernas Regumque turres». Domus altas fuisse Tyri docet Strab. XVI. 757: ἐνταῦθα δέ φασι πολυστέγους τὰς οἰκίας, ὥστε καὶ τῶν ἐν Ῥώμῃ μᾶλλον. — *Prima ratem ventis credere docta*, crediderunt antiqui navigationem a Phœnicibus esse inventam. — *Qualis et* etc., transit ad Aegyptum, unde Messallam auxilio fuisse Octaviano Aegyptum a. 30. a. Chr. n. occupanti verisimile fit. Cf. infra Excurs. II.: De bellis Messallæ. — *arentes cum findit Sirius agros*, locum imitatur Stat. Silv. III. 1, 54: «anhelantes incendit Sirius agros»; cf. Catull. 68, 62: «Cum gravis exustos æstus hiulcat agros», Hor. Sat. II. 5, 39—40: «seu rubra Canicula findet Infantes statuas», Verg. Ge. II. 353: «victa situ findit Canis æstifer arva», Carm. Priap. 63, 2—3: «Agente terra per Caniculam rimas». — *Sirius*, stella Caniculæ; cf. adn. supra ad I. 4. 6: «æstivi tempora sicca Canis». — *fertilis . . . Nilus*, quia exundatione sua Aegyptum fertilem facit; similiter usurpatur *fecundus* Plin. N. H. V. 54. de Nilo: «certis tamen diebus auctu magno per totam spatiatus Aegyptum fecundus innatat terræ». — *æstiva . . . abundet aqua*, cf. de tempore exundationis Nili Plin. N. H. V. 56: «id evenire a Canis ortu per introitum solis in leonem»

i. e. tempore caloris æstivi maximi; Lucr. VI. 712—713: «Nilus in æstatem crescit campisque redundat, Is rigat Aegyptum medium per sæpe calorem».

V. 23—28. *Nile pater,* ita appellantur sæpissime dii fluviorum. — *quanam . . . causa,* mythicam causam narrat Ov. Met. II. 254. sqq.: Nilum, cum Phaethon currum Solis agens terras exureret, fontem occuluisse. — *quibus in terris,* fontes Nili antiquis ignoti erant; cf. Ov. Am. III. 6, 39—40: «Nilus, Qui patriam tantæ tam bene celat aquæ» et Callim. fr. 445. (ed. Schneider): οὐδ' ὅθεν οἶδεν ὁδεύει Θνητὸς ἀνήρ. — *occuluisse caput,* fontem, ut Ov. Met. II. 254—255: «Nilus in extremum fugit perterritus urbem Occuluitque caput». — *Te propter nullos tellus tua postulat imbres,* in Aegypto rarissime pluit; cf. Apoll. Rhod. IV. 269. sqq.: Καὶ ποταμὸς Τρίτων (i. e. Nilus) ἐπτάῤῥοος, ᾧ ὕπο πᾶσα Ἄρδεται Ἠερίη (sc. Aegyptus), Διόθεν δέ μιν οὔποτε δεύει Ὄμβρος· ἅλις προχοαῖσι δ' ἀνασταχύουσιν ἄρουραι; Val. Flac. V. 423: «pinguemque sine imbribus annum». — *pluvio . . . Iovi,* quia Iuppiter dat pluvias; eodem epitheto Iuppiter ornatur Stat. Theb. IV. 757; Græce Ζεὺς ὑέτιος sive ὄμβριος. — *supplicat herba,* Pausan. I. 24. memorat Athenis: Γῆς ἄγαλμα ἱκετευούσης ὗσαι τὸν Δία. — *pubes . . . Barbara,* populus, ut supra vs. 5: «pubes Romana»; cf. adn. ad h. l. — *miratur,* admirando veneratur; cf. Stat. Silv. V. 2, 74—75: «æquævo cedere fratri Mirarique patrem». — *Osirim,* deum agriculturæ Aegyptium, quem Græci cum Baccho suo confundebant; cf. Herodot. II. 42: πλὴν Ὀσίριος, τὸν δὴ Διόνυσον λέγουσιν; Diod. Sic. I. 13, 5. sq.: τὸν μὲν Ὄσιριν μεθερμηνευόμενον εἶναι Διόνυσον, τὴν δὲ Ἶσιν ἔγγιστά πως Δήμητραν. Ταύτην δὲ γήμαντα τὸν Ὄσιριν καὶ τὴν βασιλείαν διαδεξάμενον πολλὰ πρᾶξαι πρὸς εὐεργεσίαν τοῦ κοινοῦ βίου. Πρῶτον μὲν γὰρ παῦσαι τῆς ἀλληλοφαγίας τὸ τῶν ἀνθρώπων

γένος, εὐρούσης μὲν Ἴσιδος τόν τε τοῦ πυροῦ καὶ τῆς κριθῆς καρπόν . . . τοῦ δὲ Ὀσίριδος ἐπινοησαμένου καὶ τὴν τούτων κατεργασίαν τῶν καρπῶν. — *Memphiten plangere docta bovem,* poeta videtur imitari Callim. fr. 176. (ed. Schneider): Εἰδυῖαν φάλιον ταῦρον ἰηλεμίσαι. Agitur de tauro sacro, Api, in quo animam Osiridos inesse putabant Aegyptii; cf. Plin. N. H. VIII. 46: «bos in Aegypto etiam numinis vice colitur: Apim vocant. Non est fas eum certos vitæ excedere annos mersumque in sacerdotum fonte enecant quæsituri luctu alium, quem substituant, et, donec invenerint, mærent derasis etiam capitibus: nec tamen unquam diu quæritur, inventus deducitur Memphim a sacerdotibus»; Diod. Sic. I. 85: τῆς δὲ τοῦ βόος τούτου τιμῆς αἰτίαν εἶναι φέρουσι λέγοντες ὅτι τελευτήσαντος Ὀσίριδος εἰς τοῦτον ἡ ψυχὴ μετέστη; Iuv. Sat. VIII. 29: «populus quod clamat Osiri Invento», ubi Osiris Apim significat. — *plangere,* lugere plangendo, nam lugentes pectora plangere solent; cum accusativo, ut Græce eodem sensu κόπτεσθαι, τύπτεσθαί τινα; cf. Germ. Cæs. Arat. 198: «planctura relictam Andromedam» et Stat. Theb. XI. 117: «plangunt sua damna coloni».

V. 29 - 32. *Primus aratra manu sollerti fecit Osiris,* quod Græci vulgo Cereri tribuebant; cf. Ov. Met. V. 341: «Prima Ceres unco glebam dimovit aratro». — *teneram,* mollem, ut infra II. 6. 30: «Sic bene sub tenera parva quiescat humo». Cf. Ov. Am. II. 16. 6: «Et viret in tenero fertilis herba solo»; Cat. De agr. 45. 2: «locus bipalio subactus siet beneque terra tenera siet». — *ferro,* vomere; opponitur *teneræ* humo. — *sollicitavit,* quietem eius turbavit; cf. Verg. Ge. II. 418: «Sollicitanda tamen tellus pulvisque movendus» et Ov. Fast. IV. 396: «Quos tellus nullo sollicitante dabat». — *inexpertæ,* sensu passivo. — *com-*

misit semina terræ, ut infra II. 6, 21—22: «Spes sulcis credit aratis Semina».

V. 33—36. *teneram . . . vitem,* cui fulcro opus est, ut docet Cic. De senect. 52: « vitis . . . natura caduca est et, nisi fulta est, fertur ad terram»; cf. supra I. 1, 7: «Ipse seram teneras maturo tempore vites». — *palis adiungere,* alligationem vocabant agricolæ. — *viridem dura cædere falce comam,* ramos luxuriantes amputare: cf. Cic. De senect. 52: «quam (sc. vitem) serpentem multiplici lapsu et erratico ferro amputans coercet ars agricolarum, ne silvescat sarmentis et in omnes partes nimia diffundatur». — *dura,* crudeli, ut Verg. Ge. II. 368—370. de vite: «tum stringe comas, tum bracchia tonde — Ante reformidant ferrum — tum denique *dura* Exerce imperia et ramos compesce fluentes». — *Illi iucundos primum matura sapores Expressa insuetis uva dedit pedibus,* ut infra II. 1, 45: «Aurea tum pressos pedibus dedit uva liquores». — *iucundos . . . sapores,* vina sapore iucundo. — *insuetis . . . pedibus,* huic labori non adsuetis; cf. supra I. 4, 48: «Aut opera insuetas atteruisse manus». *Insuetis,* ex mea coniectura; cf. adn. crit. infra ad h. l.

V. 37—42. *Ille liquor,* sc. vinum. — *voces inflectere,* modulari, numerose mutare, ut Lucr. V. 1406: «Ducere multimodis voces et flectere cantus» et Ov. Am. II. 4, 25: «dulce canit flectitque facillima vocem». — *movit . . . membra,* proprium verbum de saltatione, ut Hor. Sat. I. 9, 24—25: «quis membra movere Mollius?» — *ad certos . . . modos,* rhythmos, ut supra I. 4, 70: «Et secet ad Phrygios vilia membra modos» et infra II. 1, 52: «certo pede». — *nescia membra,* ignara saltationis. — *Bacchus,* hic et infra vs. 41. non deus, sed vinum. — *lætitiæ dissoluenda dedit,* lætitiæ tradidit, ut dissolverentur; similiter dicitur: alicui

aliquem vinciendum dare; *lætitiæ*, ex vetere coniectura, de qua cf. infra adn. crit. ad h. l. — *lætitiæ . . . dedit*, nam secundum Verg. Aen. I. 734: «lætitiæ Bacchus dator». — *dissoluenda*, curis liberanda; est enim Bacchus Λυαῖος, qui animum curis liberat; Hor. Epod. 9, 37—38: «Curam metumque Cæsaris rerum iuvat Dulci Lyæo solvere»; *dissolvere* hoc loco idem fere significat, quod *laxare* apud Senec. De tranqu. I. 15: «Cato vino laxabat animum curis publicis fatigatum» et Sil. It. Pun. XI. 286: «Bacchi munere duram Laxarunt mentem». *Dissolvere* pro: liberare apud Ter. Heaut. III. 1, 99: «Dissolve me, otiosus operam ut tibi darem» et Plaut. Merc. I. 2, 54: «Obsecro, dissolve iam me: nimis diu animi pendeo». *Dissolutus* dicitur homo securus et neglegens, ut Cic. Rosc. Am. 11: «Qui tam dissoluto animo est, qui, hæc cum videat, tacere ac neglegere possit». — *Crura licet dura compede pulsa sonent*, alludit ad servos ex familia rustica, qui opus faciebant compedibus vincti; cf. infra II. 6, 25—26: «Spes etiam valida solatur compede vinctum: Crura sonant ferro, sed canit inter opus» et II. 3, 79—80: «sulcabimus agros: Non ego me vinclis verberibusque nego»; Ov. Trist. IV. 1, 5—6: «Hoc est, cur cantet vinctus quoque compede fossor, Indocili numero cum grave mollit opus»; Columel. I. 8, 16: «ergastuli mancipia vincta compedibus». — *pulsa*, pulsata.

V. 43—48. *Non tibi sunt* etc., quæ sequuntur, omnia ad similitudinem Bacchi Græci sunt expressa. — *Sed chorus et cantus et levis amor*, cf. Hor. Carm. II. 19, 25—26. de Baccho: «Quamquam choreis aptior et iocis Ludoque dictus». — *chorus*, chorea. — *cantus*, pluralis. — *levis . . . amor*, ut supra I. 1, 73: «levis Venus»; cf. adn. ad h. l. — *aptus*, prædicatum; supple: est. — *varii flores*, varii coloris; cf. Senec. Oed. 414. de Baccho: «te decet vernis comam

floribus cingere». — *frons redimita corymbis,* hedera Baccho sacra; cf. Ov. Fast. III. 767—770: «hedera est gratissima Baccho. Hoc quoque, cur ita sit, dicere parva mora est: Nysiades nymphas puerum quærente noverca Hanc frondem cunis opposuisse ferunt»; Lygd. 6, 2. ad Bacchum: «sic hedera tempora vincta feras»; Ov. Fast. VI. 483: «Bacche, racemiferos hedera redimite capillos» et Trist. I. 7, 2: «Deme meis hederas, Bacchica serta, comis». Corymbi sunt racemi hederæ bacis graves; cf. Prop. III. 17, 29. de Baccho: «Candida laxatis onerato colla corymbis» et Ov. Fast. I. 393: «Festa corymbiferi . . . Bacchi». — *Fusa sed ad teneros lutea palla pedes,* ποδήρης vestis Baccho tribuitur, ut Prop. III. 17, 32: «Et ferias nudos veste fluente pedes». — *teneros . . . pedes,* quia Bacchus semper iuvenis est; cf. adn. supra ad I. 4, 37: «Solis æterna est Baccho Phœboque iuventas» et infra II. 3, 63: «Bacche tener». — *lutea palla,* quia color luteus sive flavus hilaritati convenit, unde Hymenæus Catull. 61, 10. luteum soccum, Ov. Met. X. 1. croceum amictum habet. — *Tyriæ vestes,* purpura Tyria, nam etiam tali veste Bacchus utebatur; cf. Ov. Met. III. 555—556. de Baccho: «madidi murra crines mollesque coronæ Purpuraque et pictis intextum vestibus aurum». — *tibia,* tibiam in cultu Bacchi commemorant etiam Catull. 64, 264. et Verg. Aen. XI. 737: «Aut ubi curva choros indixit tibia Bacchi». — *cantu,* voce; cantus enim vocatur vox instrumentorum musicorum. — *levis occultis conscia cista sacris,* in qua sunt res mysticæ in sacris Bacchi portari solitæ; cf. Catull. 64, 258—259: «Pars obscura cavis celebrabant orgia cistis, Orgia, quæ frustra cupiunt audire profani» et Hor. Carm. I. 18, 11—13: «non ego te, candide Bassareu, Invitum quatiam nec variis obsita frondibus (i. e. sacra mystica in cista frondibus tecta)

Sub divum rapiam». — *levis . . . cista,* erat enim viminea aut vitilis, ut infra II. 3, 15: «Tunc fiscella levi detexta est vimine iunci»; cf. Plin. N. H. XV. 60. et XVI. 209. — *conscia . . . sacris,* cum dativo, ut Ov. Her. XV. 138: «Conscia deliciis illa fuere meis» et Met. VI. 587: «nox conscia sacris».

V. 49—54. *Huc* etc., invitat Osirim (i. e. Bacchum), lætitiæ datorem, ad natalem Messallæ læte celebrandum, ut Dido in convivio Verg. Aen. I. 734: «Adsit lætitiæ Bacchus dator». — *Huc ades,* huc veni, ut II. 1, 35. et IV. 4, 1, et 2; cf. Ov. Met. II. 512—513: «Quæritis, ætheriis quare regina deorum Huc adsim». — *et centum ludis Geniumque choreis Concelebra,* erat enim dies natalis Genio sacratus multa cum hilaritate celebrandus; cf. Ov. Ex Pont. IV. 9, 115—116. de natali imperatoris a se celebrando: «Pontica me tellus, quantis hac possumus ora, Natalem ludis scit celebrare dei». Ludos et choreas die natali Cynthiæ commemorat etiam Prop. III. 10, 21. sqq. — *centum ludis Geniumque choreis,* i. e. centum ludis choreisque Genium; de insolita collocatione coniunctionis *-que* cf. adn. supra ad I. 4, 2: «Ne capiti soles ne noceantque nives». — *Genium,* sc. Messallæ; nam Romani die natali Genio suo sacrificabant. — *tempora,* caput, i. e. mentem; cf. supra adn. ad I. 2, 3: «multo percussum tempora Baccho». — *funde mero,* madefacias, i. e. inebries, ut Hor. Carm. I. 7, 22: «uda Lyæo Tempora»; cf. solitas locutiones: vino madere, madefieri, madidum sive uvidum esse, ut infra II. 1. 29: «festa luce madere» et II. 5. 87: «madidus Baccho». *Illius et nitido stillent unguenta capillo, Et capite et collo mollia serta gerat. Sic venias,* invocat Genium, ut in modum læti convivæ et festo hilari convenienter unctis capillis et coronis ornatus ad sacra sua veniat, ut infra II. 2,

5—7: «Ipse suos adsit Genius visurus honores, Cui decorent sanctas mollia serta comas, Illius puro destillent tempora nardo». Similiter II. 1, 3—4. Bacchus et Ceres invitantur ad Ambarvalia, ut festo convenienter signis fertilitatis ornati veniant: «Bacche, veni, dulcisque tuis e cornibus uva Pendeat et spicis tempora cinge Ceres». — *Illius,* sc. Genii. — *nitido,* propter ungenta. — *Et capite et collo . . . serta,* ut in lætioribus conviviis mos erat; cf. Hor. Sat. II. 3, 255—256. de Polemone: «potus ut ille Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas». — *hodierne,* hodie; adiectivum pro adverbio, ut sæpissime apud poetas, et vocativus pro nominativo, ut Verg. Aen. II. 282—283: «quibus Hector ab oris Exspectate venis» et ibid. XI. 856: «Huc periture veni». — *tibi dem turis honores . . . Liba,* die natali tura, vinum et libum sacrificabant Genio; cf. infra II. 2, 8. de Genio: «Atque satur libo sit madeatque mero» et IV. 5, 9: «Magne Geni, cape tura libens» et II. 2, 3. de natali Cornuti: «Urantur pia tura focis». — *turis honores,* ut Prop. IV. 6, 5: «Costum molle date et blandi mihi turis honores». — *Liba,* cf. Serv. ad Verg. Aen. VII. 109: «liba sunt placentæ de farre, melle et oleo sacris aptæ». — *Mopsopio,* Attico; erat enim Mopsopus rex antiquus Atticæ, unde Mopsopia vocatur Attica teste Strab. IX. p. 397. et 443. Cf. Ov. Her. 8, 72: «urbs Mopsopia» i. e. Athenæ. Mel Atticum autem ponitur pro Hymettio, ut Ov. Trist. 4, 29—30: «dulcior illo Melle, quod in ceris Attica ponit apis». Clarissimæ autem erant apes in monte Hymetto.

V. 55—58. *At tibi,* sc. Messallæ. — *succrescat proles,* auxilio Genii, qui connubia fecunda reddit; cf. infra II. 2, 21: «Hac veniat Natalis (i. e. Genius) avi prolemque ministret». — *facta parentis Augeat,* cumulet aliis præclaris factis. — *veneranda,* propter virtutem iam in iuventute

venerabilis. — *monumenta viæ,* intellege viam Latinam, quæ a porta Capena inter oppidum Tusculum et montem Albanum ducebat usque ad Casilinum, ubi iuncta erat cum via Appia. Messalla partem huius viæ sternendam curavit, certe ex pecunia manubiali, alia pars C. Calvisio Sabino obtigit munienda (cf. CIL X. 6895.), qui a. 28. a. Chr. n. de Hispania triumphavit; cf. Suet. Aug. 30: «Quo autem facilius undique urbs adiretur, desumpta sibi Flaminia via Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia sternendas distribuit» sc. Octavianus. *Monumenta* vocantur omnia opera publica magnifica, quæ memoriam auctoris servant, ut templa, theatra, viæ; cf. Cic. Mil. 17: «in monumentis maiorum suorum sit interfectus (Clodius)», sc. in via Appia, quam Appius Claudius Cæcus faciendam curavit. Clarissima autem erat via Messallæ, quare Martial. Epigr. VIII. 3, 5—7: «Et cum rupta situ Messallæ saxa iacebunt». Hunc locum Tibulli respicere videtur Iuv. Sat. V. 55: «Clivosæ veheris dum per monumenta Latinæ», i. e. viæ. — *quem Tuscula tellus . . . Albaque . . . detinet,* delectatione quadam, amœnitate sua detinet; agitur enim de divitibus Romanis, qui villas ibi ædificabant. Cf. Verg. Aen. IV. 347—348. de Didone: «si te Karthaginis arces Phœnissam Libycæque aspectus detinet urbis». Erat autem via strata ad urbem ducens iis, qui in agro Tusculano et in monte Albano villas habebant, maximo commodo; ceterum ipse Augustus teste Suet. Aug. 30. eo consilio vias sternendas curavit, ut: «facilius undique urbs adiretur». — *Tuscula,* poetica adiectivi forma pro: Tusculana. — *Candidaque . . . Alba,* propter villas marmoreas late candentes in monte Albano; cf. Hor. Epod. 1, 29—30: «Neque ut superni villa candens Tusculi Circæa tangat mœnia» et Prop. III. 16, 2—3: «Tibure . . . Candida qua

geminas ostendunt culmina turres»; erant autem Tusculi et Tibure villæ marmoreæ. Villas magnificentissimas habebant in monte Albano nobiles Romani, quæ ex editioribus Romæ partibus conspicuæ erant; cf. Cic. ad Att. IV. 11, 1; Suet. Ner. 25. et Dom. 4. — *antiquo Lare,* ablativus qualitatis: quæ antiquum Larem habet, ergo: antiqua est; erat enim Alba antiquior, quam Roma; hunc locum imitatur Stat. Silv. IV. 5, 21: «Qua prisca Teucros Alba colit Lares». Etiam urbes habebant Lares, agri publici custodes, unde *Lases* in antiquissimo fratrum Arvalium carmine pro salute agri Romani invocantur (cf. Ritschl: Prisc. Lat. Mon. XXXVI. A.); Lares Romæ commemorat Prop. III. 3, 11: «Hannibalemque Lares Romana sede fugantes».

V. 59—64. *glarea . . . silex,* erat igitur via partim glarea, partim silice (i. e. lapidibus magnis) strata; cf. Liv. XLI. 27, 5: «censores (a. p. u. c. 578.) vias sternendas silice in urbe, glarea extra urbem substruendas marginandasque primi omnium locaverunt»; Plin. N. H. XVIII. 47: «fossas . . . silice vel glarea sterni». — *Sternitur . . iungitur,* tempore præsenti, quia via nondum erat absoluta. — *apta iungitur arte,* ita, ut lapides apte cohæreant. — *canit,* laudat, ut Senec. Ep. 79, 13. de Epicuro: «amicitiam suam et Metrodori grata commemoratione canit», ubi non agitur de cantu aut carmine. — *rettuleritque,* de collocatione coniunctionis *-que* cf. adn. supra ad I. 10, 51: «Rusticus e lucoque». — *natalis,* dies natalis; poeta redit eodem, unde exorsus est vs. 1. — *Candidior,* felicior et lætior, epitheton solitum diei natalis; cf. Ov. Trist. V. 5, 13—14: de natali uxoris: «Optime Natalis, quamvis procul absumus, opto Candidus huc venias» et Pers. Sat. II. 1—2. de natali Macrini: «Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo, Qui tibi labentes apponit candidus annos».

AMBARVALIA.

Lib. II. eleg. 1.

Introductio. Tibullus, agrum sum lustraturus, sacrum ambarvale indicit (1—14). Immolatio hostiæ, preces ad Lares (15—26). Sequuntur epulæ, inter quas poeta laudes deorum agrestium cantaturus Messallam invocat (27—36). Hymnus in eos (37—66): diis ruralibus debetur vitæ cultioris ratio (37—50) et artium inventio (51—66). Post explicatam artium originem oratio deducitur ad Amorem ruri natum: agitur de potestate eius (67—80) et invocatur, ut dapibus festis propitius adsit (81—86). In fine poeta hortatur convivas ad ludendum imminente nocte (87—90).*

Lustratio agrorum sive Ambarvalia a rusticis sub finem mensis Aprilis, nullo certo die, ut videtur, præscripto, celebrabantur. Pertinebat autem lustratio ad agros, greges et homines. Hostiæ ter agrum circumagebantur: porcus, agnus et vitulus aut unus ex tribus, deinde immolabantur diis ruralibus. Tibullus agno lustravit. Cum descriptione festi Tibulliana cf. Cat. De agr. 141., qui sacra faciens præter Ianum et Iovem ad Martem preces dirigit; contra poeta initio carminis Cererem et Bacchum invocat (vss. 3—4), deinde agnum immolans Larum (vs. 17) auxilium implorat.

* Cf. infra Excurs. IX.

V. 1—4. *Quisquis adest, faveat,* Tibullus, dominus agri, sacra facturus edicit, ut silentium sit et quisque parcat verbis male ominatis; sollemnis formula erat: «favete linguis» (ut Hor. Carm. III. 1, 2), Græce εὐφημεῖτε. Cf. infra II. 2, 1—2: «Dicamus bona verba: venit Natalis ad aras: Quisquis ades, lingua, vir mulierque, fave». — *fruges lustramus et agros,* immo etiam agrestes et greges; cf. infra vs. 17: «purgamus agros, purgamus agrestes» et supra I. 1, 21: «vitula innumeros lustrabat cæsa iuvencos». — *lustramus,* religioso ritu malis purgamus. — *Ritus ut a prisco traditus exstat avo,* ut Catull. 101, 7—8: «prisco quæ more parentum Tradita sunt». — *prisco . . . avo,* cf. adn. supra ad I. 10, 18: «veteris avi». — *Bacche . . . Ceres,* vocantur dii, ut præsentes adsint sacris. Festum dedicatum erat omnibus «agricolis cælitibus» (vide infra vs. 36.), sed hoc loco duo maximi dei nominantur instar omnium: Bacchus uvis, Ceres spicis ornata adsit, tamquam pignus afferentes fertilitatis agrorum. — *dulcisque tuis e cornibus uva Pendeat,* Bacchus præter hederam etiam uvas in capite gerebat, ut Ov. Met. III. 666: «racemiferis frontem circumdatus uvis». — *cornibus,* cornua habebat Bacchus in capite, unde Græce βούκερως et ταυρόκερως (Sophocl. fr. 874. Eurip. Bacch. 100.) nominatur; cf. Prop. III. 17, 19—20: «per te et tua cornua vivam, Virtutisque tuæ, Bacche, poeta ferar», Ov. Met. IV. 19: «tibi, cum sine cornibus adstas, Virgineum caput est». — *spicis tempora cinge,* ut Ov. Fast. IV. 616. de Cerere: «Imposuitque suæ spicea serta comæ» et Am. III. 10, 35—36: «Diva potens frugum silvis cessabat in altis: Deciderant longæ spicea serta comæ».

V. 5—10. *Luce sacra,* die festo Ambarvalium. — *requiescat humus, requiescat arator,* ut Ov. Fast. I. 667—668. de feriis Sementivis: «Vilice, da requiem terræ semente

peracta. Da requiem, terram qui coluere, viris». — *suspenso vomere,* aratrum, quod erat plerumque sine rotis, palo quodam suspendebatur, ut docet Ov. Fast. I. 665: «Rusticus emeritum palo suspendat aratrum». — *Solvite vincla iugis,* feriis arare quidem non licebat, sed licebat alium ob finem boves iungere, ut docet Cat. De agr. 138: «Boves feriis coniungere licet. Hæc licet facere: arvehant ligna, fabalia, frumentum». Nunc igitur, antequam res divina peragatur, bobus iuga demuntur. — *vincla iugis,* bobus lora, quibus ad iugum alligantur; cf. Verg. Ecl. 4, 41: «Robustus quoque iam tauris iuga solvet arator» et Pseudo-Verg. Cir. 123: «Sub iuga parentes cogit lorata iuvencos». — *iugis,* ablativus, ut infra vs. 29: «solvite vincla cado» et Verg. Aen. I. 562: «Solvite corde metum». Iuga autem hoc loco significant paria boum unum iugum ferre solita, ut infra II. 3, 44: «Portatur validis mille columna iugis» et Ov. Fast. I. 564: «Vix iuga movissent quinque bis illud onus». — *coronato . . . capite,* cf. Ov. Fast. I. 663. de Paganalibus: «State coronati plenum ad præsepe, iuvenci». Similiter ferias habebant et coronabantur asini festo Vestæ; cf. Prop. IV. 1, 21: «Vesta coronatis pauper gaudebat asellis» et Ov. Fast. VI. 311: «Ecce coronatis panis dependet asellis». — *Omnia sint operata deo,* neutrum ponitur, quia agitur non solum de hominibus, sed etiam de bestiis, quæ una cum hominibus feriari debent. — *sint operata deo,* sensu religioso: dent operam rei divinæ, ut infra II. 5, 95: «Tunc operata deo pubes discumbet in herba»; cf. Hor. Carm. III. 14, 5—6: «Unico gaudens mulier marito Prodeat iustis operata divis». — *deo,* in genere dicitur pro numine divino; cf. adn. supra ad I. 5, 20: «renuente deo». — *ulla,* sc. ancilla; cf. adn. supra ad I. 8, 59: «quamvis». — *Lanificam pensis imposuisse manum,* ut Ov. Her. 9, 76. de

Hercule nente: «Rasilibus calathis imposuisse manum» et Am. I. 13, 29: «Lanificam revocas ad sua pensa manum».

V. 11—14. *discedat ab aris, Cui tulit hesterna gaudia nocte Venus,* debebant enim, qui mane ad sacra accedere volebant, nocte antecedente in casto esse i. e. concubitu abstinere, unde Ov. Am. III. 7, 53—54: «A tenera quisquam sic surgit mane puella, Protinus ut sanctos possit adire deos?» — *Casta placent pueris,* i. e corpora casta (coitu non inquinata), vestes et manus puræ. — *pura cum veste,* cf. adn. supra ad I. 10, 27: «pura cum veste». — *manibus puris sumite fontis aquam,* per prolepsin: sumite aquam manibus (dat.), ut puræ fiant; cf. Ov. Fast. V. 435: «manus puras fontana perluit unda» et ibid. 726: «Lustrantur puræ, quas facit illa, tubæ». — *fontis aquam,* flumine vivo manus lavare debebant, qui ad sacra accedebant; cf. adn. supra ad I. 3, 25.

V. 15—20. *Cernite, fulgentes ut eat sacer agnus ad aras Vinctaque post olea candida turba comas,* alludit ad circumductionem hostiæ; poeta ante oculos habuisse videtur Verg. Ge. I. 345—346: «Terque novas circum felix eat hostia fruges, Omnis quam chorus et socii comitentur ovantes». — *fulgentes,* sc. flammis. — *eat . . . agnus ad aras,* ducebatur enim laxo fune, ut sponte ire videretur; cf. Serv. ad Aen. II. 134: «solutæ sunt hostiæ, nam piaculum est in sacrificiis aliquid esse religatum». — *sacer agnus,* hostia ambarvalis diis sacrata. — *Vinctaque . . . olea,* coronis oleaginis. — *candida turba,* diebus festis vestes albas gerebant antiqui; cf. Cic. Legg. II. 18, 45: «color autem albus præcipue decorum deo est quom in cetero, tum maxime in textili» et Plaut. Rud. I. 5, 11: «æquius vos erat Candidatas venire hostiatasque ad hoc Fanum: ad istum modum non veniri solet».

Tibullum ante oculos habuisse videtur Ov. Fast. II. 654: «linguis candida turba favet» et IV. 906: «Obstitit in media candida turba via». — *Di patrii, purgamus* etc., Tibullus agnum immolans precibus invocat Lares. — *patrii,* dii a patribus accepti (Græce πατρῷοι θεοί) i. e. Lares familiares, quibus, agri custodibus, agnam imprimis offert; cf. I. 1, 19—23: «Vos quoque, felicis quondam, nunc pauperis agri Custodes, fertis munera vestra, Lares: Tunc vitula innumeros lustrabat cæsa iuvencos, Nunc agna exigui est hostia parva soli: Agna cadet vobis»; etiam fratres Arvales, qui agrum Romanum lustrabant, Lares invocabant primum, deinde Martem, ut elucet ex carmine eorum antiquissimo (cf. Ritschl: Prisc. Lat. Mon. XXXVI. A): «Enos Lases iuvate». Deos patrios vocat Tibullus Lares, ut I. 3, 33: «At mihi contingat patrios celebrare Penates» et I. 10, 15: «Sed patrii servate Laves». Eodem nomine Lares ornant Verg. Aen. IV. 688: «patriosque vocavi Voce deos», Hor. Carm. II. 7, 3—4: «Quis te redonavit Quiritem Dis patriis Italoque cælo» (cf. et Carm. II. 18, 26—28: «pellitur paternos In sinu ferens deos Et uxor et vir sordidosque natos»); Ov. Her. 1, 26: «Ponitur ad patrios barbara præda deos» et Rem. 158: «Et refer ad patrios bina tropæa deos», ubi Ovidius imitatur Prop. II. 30, 22: «Et ferre ad patrios præmia dira Lares». — *purgamus,* sc. malis lustratione. — *seges eludat messem fallacibus herbis,* poeta imitatur Verg. Ge. I. 225—226: «sed illos Exspectata seges vanis elusit avenis»; cf. Hor. Carm. II. 1, 30: «Fundusque mendax» et I. 7, 87: «Spem mentita seges». Tibullum imitari videtur Ov. Fast. IV. 645: «Sæpe Ceres primis dominum fallebat in herbis». — *herbis,* herbæ sunt in segete calami virentes tempore veris, qui spicas nondum habent; unde dicitur (Ov. Her. 17, 263): «adhuc tua messis in herba est». — *tardior*

agna, ceteris agnis imbecillior, quæ gregem cursu æquare non potest.

V. 21—26. *Tunc,* si Lares mala de limitibus pellunt. — *nitidus,* bene nutritus et pinguedine nitens; cf. Hor. Ep. I. 4, 15: «Me pinguem et nitidum bene curata cute vises» et Sat. II. 2, 127—128. de Ofello rustico, qui agros suos amisit: «quanto aut ego parcius aut vos, O pueri, nituistis, ut huc novus incola venit?» — *plenis . . . agris,* divitibus, qui omnibus bonis (frugibus, gregibus etc.) abundant; cf. Cic. Pis. 37: «nobiles urbes atque plenæ» i. e. divites; Hor. Sat. I. 5, 50: «plenissima villa» et Carm. II. 12, 24: «plenas Arabum domos» et ibid. IV. 12, 24: «Plena dives ut in domo». — *Ingeret ardenti grandia ligna foco,* ligno non parcet, sed magnum ignem faciet largam cenam apparaturus; igne autem bene ardente Lares, foci custodes, quibus rusticus divitias suas debet, exhilarantur; cf. Hor. Epod. 2, 43: «Sacrum vetustis lignis exstruat focum». — *Turbaque vernarum, saturi bona signa coloni,* ante focum in conspectu Larum turba vernarum ludet, divitias domini ipso numero arguens. Erant autem vernæ in Larum familiarium tutela. Poeta imitatur Hor. Epod. 2, 65—66: «Positosque vernas, ditis examen domus, Circa renidentes Lares». — *vernarum,* de vernis cf. adn. supra ad I. 5, 26: «amantis Garrulus in dominæ ludere verna sinu». — *saturi bona signa coloni,* contrarium dicit infra II. 5, 71: «belli mala signa cometen». *Satur,* hoc loco divitem significat, ut Verg. Ge. II. 197: «saturi petito longinqua Tarenti» et Pers. Sat. I. 71—72: «rus saturum laudare, ubi corbes Et focus et porci». — *ex virgis Exstruet . . . casas,* genus ludi puerilis, ut Hor. Sat. II. 3, 247: «Aedificare casas, plostello adiungere mures». — *ante,* sc. ante focum. — *Eventura precor: viden ut,* cf. adn. supra ad I. 5, 57: «Evenient:

dat signa deus». — *felicibus extis Significet placidos nuntia fibra deos*, cf. Verg. Ge. I. 484: «Tristibus aut extis fibræ apparere minaces». — *felicibus extis*, in extis felicitatem portendentibus. Tibullus scilicet haruspicem adhibuit, qui exta agnæ immolatæ inspiceret. — *nuntia fibra*, voluntatis deorum et futuri nuntia; cf. adn. supra ad I. 8, 3: «conscia fibra deorum» et Lygd. 4, 5—6: «venturæ nuntia sortis Vera monent Tuscis exta probata viris».

V. 27—32. *fumosos . . . Falernos*, supple ex vs. sq.: cados. Vina in superiore ædium parte, in apotheca fumo pervia collocabantur, ut Colum. I. 6, 20. dicit: «quoniam vina celerius vetustescunt, quæ fumi quodam tenore præcocem maturitatem trahunt». Cf. Hor. Carm. III. 8, 11—12: «Amphoræ fumum bibere institutæ Consule Tullo» et Ov. Fast. V. 518: «Promit fumoso condita vina cado». De vino Falerno vide adn. supra ad I. 9, 34: «Falernus ager». — *veteris . . . Consulis*, intellege vinum anno veteris cuiusdam consulis diffusum; nomina enim consulum inscribebantur amphoræ. Cf. Hor. Carm. III. 28, 7—8: «Parcis deripere horreo Cessantem Bibuli consulis amphoram». In magno autem honore erat Falernum vetus; cf. Varr. De re rust. 65: «Genera sunt vini, in quo Falerna, quæ quanto pluris annos condita habuerunt, tanto, cum prompta, sunt fructuosiora». — *Chio*, quia vinum Falernum austerum (quod *severum* nominat Hor. Carm. I. 27, 9.) miscebant cum Chio dulciore, unde Hor. Sat. I. 10, 24: «ut Chio nota si commixta Falerni est» et ibid. II. 3, 115—116: «Si positis intus Chii veterisque Falerni Mille cadis». Inter vina Græca celeberrimum erat Chium; cf. Plin. N. H. XIV. 73: «In summa gloria post Homerica illa (vina), de quibus supra diximus, fuere Thasium Chiumque». — *solvite vincla cado*, sc. corticem adstrictum pice, ut Hor. Carm. III. 8, 10. dicit

Cado ablativus; cf. adn. supra ad vs. 7: «Solvite vincla iugis». — *Vina diem celebrent,* i. e. vinis diem celebremus, ut infra II. 3, 47: «At mihi læta trahant Samiæ convivia testæ» i. e. ego traham convivia Samiis vasis. — *non festa luce madere Est rubor,* cf. Liv. XL. 14: «Non est res, qua erubescam, pater, si die festo inter æquales largiore vino sum usus»; Ov. Fast. VI. 778. de festo Fortunæ: «Nec pudeat potos inde redire domum». — *madere,* sc. vino, inebriari, ut infra II. 2, 8: «madeatque mero» et II. 5, 87: «madidus Baccho». — *errantes et male ferre pedes,* ægre trahere pedes; cf. Ov. Fast. VI. 677—678: «Nec mora, convivæ valido titubantia vino Membra movent, dubii stantque labantque pedes». — *bene Messallam,* sc. valere iubeo; nota formula convivalis, ut Plaut. Stich. V. 4, 27: «bene nos, bene vos, bene te, bene me, bene nostrum etiam Stephanium»; Ov. Fast. II. 637: «Et bene vos, bene te, pater optime Cæsar, Dicite». — *singula verba,* unoquoque pæne verbo Messallæ fiat mentio.

V. 33—36. *Gentis Aquitanæ . . . triumphis,* triumpho a. a. Chr. n. 27. de Aquitanis acto, de quo vide supra I. 7. — *Et magna intonsis gloria victor avis,* quia victoriis suis præclara gentis Valeriæ facta cumulavit; cf. Paneg. in Mess. 32: «Quam tibi maiores, maius decus ipse futuris». — *intonsis . . . avis,* nam, ut Varro De re rust. II. 11, 10. dicit: «Omnino tonsores in Italiam primum venisse ex Sicilia dicuntur p. R. c. a. 453., ut scriptum in publico Ardeæ in litteris exstat, eosque adduxisse Publium Titinium Menam. Olim tonsores non fuisse adsignificant antiquorum statuæ, quod pleræque habent capillum et barbam magnam». Idem fere dicit Plin. N. H. VII. 211. Tibullum imitatur Ov. Fast. II. 30: «Hoc apud intonsos nomen habebat avos». — *Huc ades aspiraque mihi,* ad Messallam, tamquam ad nu-

men, preces dirigit, ut adsit sibi laudes deorum rusticorum canenti. Ut Tibullus Messallam, ita Vergilius Mæcenatem invocat Ge. II. 39—41: «Tuque ades inceptumque una decurre laborem . . . Mæcenas». — *Huc ades*, cf. adn. supra ad I. 7. 49. — *aspiraque mihi*, proprie dicitur de vento navigantibus secundo (ut Verg. Aen. V. 769: «aspirans rursus vocat auster in altum» et 606—607: «Iuno . . . ventos aspirat eunti»), translate de auxilio deorum, ut infra II. 3, 71: «quibus aspirabat Amor»; cf. Verg. Aen. IX. 525: «Vos, o Calliope, precor, aspirate canenti», Ov. Met. I. 3: «di cœptis . . . aspirate meis». — *agricolis . . . cælitibus*, diis rusticis omnibus, non solum Cereri et Baccho.

V. 37—42. *His vita magistris Desuevit querna pellere glande famem*, ante oculos habuit poeta Verg. Ge. I. 7—8: «alma Ceres, vestro si munere tellus Chaoniam pingui glandem mutavit arista». Cf. Ov. Fast. I. 675—676. de Cerere et Tellure: «Consortes operis, per quas correcta vetustas Quernaque glans victa est utiliore cibo», ibid. IV. 401—402: «Prima Ceres homine ad meliora alimenta vocato Mutavit glandes utiliore cibo». Met. V. 342: «Prima (Ceres) dedit fruges alimentaque mitia terris»; Iuv. Sat. XIV. 182—184: «numina ruris, Quorum ope et auxilio gratæ post munera aristæ Contingunt homini veteris fastidia quercus». — *vita*, humana, i. e. genus humanum; cf. Phædr. I. prolog. 4: «prudenti consilio vitam monet». — *glande*, glans erat alimentum hominum antiquissimorum, ut legimus infra II. 3, 68—69: «Glans alat et prisco more bibantur aquæ: Glans aluit veteres»; cf. Ov. Met. I. 106. de cibis aureæ ætatis: «quæ deciderant patula Iovis arbore, Glandes» et Verg. Ge. I. 147—149: «Prima Ceres ferro mortalis vertere terram Instituit, cum iam glandes atque arbuta sacræ Deficerent silvæ». — *compositis . . . tigillis*, parvis tignis pecti-

natim positis, ut iis intexerentur frondes. — *primum docuere*, nam antea, ut Ov. Met. I. 121—122. docet: «domus antra fuerunt Et densi frutices et vinctæ cortice virgæ». — *viridi fronde*, cf. Verg. Ecl. 1, 68: «Pauperis et tuguri congestum cæspite culmen». — *tauros primi docuisse feruntur Servitium*, cf. de Cerere Ov. Am. III. 10, 13: «Prima iugis tauros supponere colla cœgit» et Fast. III. 403: «Illa iugo tauros collum præbere coegit». — *plaustro supposuisse rotam*, plaustrum Ceres invenit; cf. Verg. Ge. I. 163: «Tardaque Eleusiniæ matris volventia plaustra».

V. 43—46. *consita pomus*, nam antea feræ tantum arbores erant. — *Tum bibit irriguas fertilis hortus aquas*, agitur de irrigatione agrorum per rivos inductos; cf. Verg. Ecl. 3, 111: «Claudite iam rivos, pueri, sat prata biberunt». — *irriguas*, sensu activo, ut Verg. Ge. IV. 32: «irriguumque bibunt violaria fontem» et Ov. Am. II. 16, 2: «Parva, sed irriguis ora salubris aquis». — *Aurea tum pressos pedibus dedit uva liquores*, ut supra I. 7, 35—36: «iucundos primum *matura* sapores Expressa insuetis uva dedit pedibus». *Aurea* significat colorem uvæ maturæ: flavescens. — *securo*, curas pellente, nam Ov. A. A. I. 238: «Cura fugit multo diluiturque mero». Cf. Verg. Aen. VI. 715. de aqua Lethes: «Securos latices». — *sobria lympha*, aqua, ut supra I. 6, 27—28: «bibebam Sobria supposita pocula victor aqua».

V. 45—50. *messes*, fruges. — *calidi cum sideris æstu*, quia fruges æstate demetuntur; cf. Catull. 64, 353—354: «densas præcerpens messor aristas Sole sub ardenti flaventia demetit arva» et Verg. Ge. I. 297: «At rubicunda Ceres medio succiditur æstu» — *calidi... sideris*, solis, ut Ov. Am. II. 16, 3: «Sol licet admoto tellurem sidere findat», A. A. I. 724: «a radiis sideris esse niger» et Met. I. 424: «Aetherioque recens

exarsit sidere limus». — *Deponit flavas . . . terra comas*, spicas maturas, ut Ov. Am. III. 10, 11—12: «Prima Ceres docuit turgescere semen in agris Falce coloratas subsecuitque comas». Cf. Prop. II. 19, 12: «Et vitem docta ponere falce comas». — *annua*, quotannis; adiectivum pro adverbio. — *comas*, de spicis, ut Prop. IV. 2, 14: «Et coma lactenti spicea fruge tumet». — *levis verno flores apis ingerit alveo, Compleat ut dulci sedula melle favos*, poeta ante oculos habuit Verg. Ge. IV. 51—55. de apibus: «ubi pulsam hiemem sol aureus egit Sub terras cælumque æstiva luce reclusit, Illæ continuo saltus silvasque peragrant Purpureosque *metunt flores* et flumina libant Summa *leves*». — *levis*, propter levem volatum. — *verno . . . ingerit alveo*, adiectivum pro adverbio: vere ingerit alveo, ut supra vs. 48: «annua». Apes, ut Colum. IX. 14. docet, ab æquinoctio verno mellificare incipiunt. — *flores . . . ingerit*, credebant antiqui particulas florum et foliorum ab apibus decerpi et in alveum comportari, ut mella cælo in modum roris delapsa (cf. supra adn. ad I. 3, 45: «Ipsæ mella dabant quercus») inde sorberent et in utriculo suo concreta rursus evomerent. Cf. Verg. Ge. IV. 54: «Purpureosque metunt flores»; Colum. IX. 14: «idoneos decerpunt flores atque intra tecta comportant»; Plin. N. H. XI. 20: «Cum agmen (apium) ad opera processit, aliæ flores adgerunt pedibus», ibid. 31: «(Ros cælestis) e fronde ac pabulis potus (sc. ab apibus) et in utriculo congestus apium — ore enim vomunt — ad hoc suco florum corruptus . . . magnam tamen cælestis naturæ voluptatem adfert»; ibid. 32: «sorbetur (mel ab apibus) optimum et minime fronde infectum e quercus, tibiæ, harundinum foliis». — *alveo*, duæ syllabæ; synizesis.

V. 51—54. *adsiduo . . . satiatus aratro*, assiduo labore arandi defatigatus, tædio laboris captus, ut Ov. Met. VII.

808—809: «Sed cum satiata ferinæ Dextera cædis erit, repetebam frigus et umbras»; cf. Hom. Il. XI. 87—88: ἐπεί τ' ἐκορέσσατο χεῖρας Τάμνων δένδρεα μακρὰ ἅδος τέ μιν ἵκετο θυμόν. — *certo . . . pede*, rhythmo, ut supra I. 7, 38: «Movit et ad certos nescia membra modos». — *rustica verba*, carmen simplex, sine arte. — *satur*, post cenam. — *arenti primum est modulatus avena Carmen*, ut Verg. Ecl. X. 51: «Carmina pastoris Siculi modulabor avena» et Ov. Met. X. 154: «Et leve cerata modulatur arundine carmen». — *est modulatus*, cecinit modis certis sonorum itaque cantum tibiæ invenit. — *avena*, tibia ex calamo facta, ut Verg. Ecl. 1, 2: «Silvestrem tenui Musam meditaris avena» et ibid. 1, 10: «Ludere, quæ vellem, calamo permisit agresti». — *ut ornatos diceret ante deos*, ut die festo caneret ante simulacra deorum coronis ornata; cf. infra vss. 59—60. — *diceret*, non ore suo, sed avena; *dicere* enim etiam de cantu instrumentorum musicorum usurpatur, ut Veget. De re milit. 2, 22: «classicum appellatur, quod bucinatores per cornu dicunt».

V. 55—60. *Agricola et minio* etc., alludit ad rei scenicæ primordia. — *minio suffusus, Bacche, rubenti*, actores primi festo Bacchi non personis utebantur, sed pingebant ora fæce vini, cerussa aut portulaca; cf. Hor. A. P. 276: «Dicitur et plaustris vexisse poemata Thespis, Quæ canerent agerentque peruncti fæcibus ora» et Schol. ad Aristoph. Acharn. 499: διὰ τὸ μὴ ὄντων προσωπείων τὴν ἀρχὴν τρυγὶ χρίεσθαι τὰς ὄψεις; Suid. s. v. Θέσπις: πρῶτον μὲν χρίσας τὸ πρόσωπον ψιμυθίῳ ἐτραγῴδησεν, εἶτα ἀνδράχνῃ ἐσκέπασεν ἐν τῷ ἐπιδείκνυσθαι καὶ μετὰ ταῦτα εἰσήνεγκε καὶ τῶν προσωπείων χρῆσιν. Tibullus minium commemorat, quia apud Romanos antiquos diebus festis sollemnis erat minii usus, quo etiam imagines deorum illinebantur; cf.. Plin. N. H. XXXIII. 111: «In

argentariis metallis invenitur minium quoque, et nunc inter pigmenta magnæ auctoritatis et quondam apud Romanos non solum maximæ, sed etiam sacræ. Enumerat auctores Verrius, quibus credere necesse sit Iovis ipsius simulacri faciem diebus festis minio inlini solitam triumphantiumque corpora, sic Camillum triumphasse». — *minio suffusus*, infectus, inductus, ut Lucr. VI. 448. de nebulis: «suffunduntque sua caligine cælum». — *Bacche*, Bacchum alloquitur, quia in honorem eius celebrabantur ludi hoc loco commemorati. — *inexperta*, sensu passivo, ut supra I. 7, 31: «inexpertæ terræ». — *duxit . . . choros*, ex qua saltatione et cantu orta est poesis dramatica. — *ab arte*, cf. adn. supra ad I. 9, 65: «non solita corpus ab arte movet». — *Huic*, sc. ductori chori. — *datus . . . hircus*, datus est; alludit ad etymologiam tragœdiæ vulgarem; cf. Hor. A. P. 220: «Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum» et Diom. III. p. 487. K.: «tragœdia, ut quidam, a τράγῳ et ᾠδῇ dicta est, quoniam olim actoribus tragicis τράγος i. e. hircus præmium cantus proponebatur»; Verg. Ge. II. 381—383. de capro: «veteris ineunt proscænia ludi Præmiaque (sc. capros) ingeniis pagos et compita circum Thesidæ posuere». — *a pleno . . . ovili*, ex ovili divitis cuiusdam agricolæ. Ovile de caprarum stabulo, ut Ov. Met. XIII. 827—828: «Sunt fetura minor, tepidis in ovilibus agni, Sunt quoque par ætas aliis in ovilibus hædi». — *memorabile munus*, quia agricolæ, qui, ut vs. 58. docemur, parvas opes habebat, magnum erat præmium. — *Dux pecoris*, hircus, ut Ov. Met. V. 327: «dux gregis» est aries. — *parvas*, ex coniectura Postgatii; cf. infra adn. crit. ad h. l. et Ov. Trist. III. 10, 59—60: «Ruris opes *parvæ*, pecus et stridentia plaustra Et quas divitias incola pauper habet». — *verno primum de flore coronam Fecit*, itaque invenit artem coro-

nis se ornandi. — *antiquis imposuit Laribus*, cf. Hor. Carm. III. 23, 15—16: «Parvos coronantem marino Rore deos (sc. Lares) fragilique myrto».

V. 61—66. *curam exhibitura*, ut dicitur: alicui laborem, negotium, molestiam exhibere. — *lucida . . . ovis*, candida, ut Prop. III. 13, 29—30: «nunc mixta referre Lilia virgineos lucida per calathos»; cf. infra II. 5, 38: «niveæ candidus agnus ovis». — *Hinc et femineus labor est, hinc pensa colusque*, ut Ov. Am. I. 13, 28—29: «Tu, cum feminei possint cessare labores, Lanificam revocas ad sua pensa manum». — *Fusus et apposito pollice versat opus*, femina fusum pollice versando net filum; cf. Ov. Her. 19, 37: «Tortaque versato ducentes stamina fuso» et Met. VI. 22: «Sive levi teretem versabat pollice fusum». — *adsiduæ . . . operata Minervæ*, adsidue operam dans telæ; cf. Ov. Met. VII. 746: «studiis operata Dianæ». — *Minervæ*, per metonymiam pro lanificio universo et præcipue pro arte texendi, ut Ov. Met. IV. 33—35: «Intempestiva turbantes festa Minerva Aut ducunt lanas aut stamina pollice versant Aut hærent telæ»; Prop. II. 9, 5. de Penelope: «coniugium falsa poterat differre Minerva». Erant enim feminei labores in tutela Παλλάδος 'Εργάνης. — *Cantat et applauso tela sonat latere*, poeta ante oculos habuit Verg. Ge. I. 293—294: «Interea longum cantu solata laborem Arguto coniunx percurrit pectine telas». — *applauso tela sonat latere*, textum sonat, cum pulsatur pectine textorio (Hungarice *cséve*, Germanice *Weberkamm*.) Postquam enim subtemen (Hung. *bélfonál*, Germ. *Einschlag*) ope radii (Hung. *vetélő*, Germ. *Weberschiffchen*) per stamina in transversum ductum est, textores telam pectine feriunt sive percutiunt, ut densetur; cf. Ov. Met. VI. 55—58: «Tela iugo vincta est, stamen secernit arundo, Inseritur medium radiis subtemen acutis,

Quod digiti expediunt, atque inter stamina ductum Percusso *feriunt* insecti *pectine* dentes»; Iuv. Sat. IX. 28—31: «lacernas . . . male *percussas* textoris *pectine* Galli»; Ov. Fast. III. 819—820: «Illa etiam stantes radio percurrere telas Erudit et rarum pectine densat opus». — *applauso*, pulsato, percusso, ut sonitus fiat; cf. Pseudo-Verg. Cir. 179: «Non Libyco molles *plauduntur pectine* telæ» et de equis Verg. Ge. III. 186: «plausæ sonitum cervicis amare», quem locum ita imitatur Sil. It. Pun. XVI. 357: «asper nec qui cervicis amaret *Applausæ* blandos sonitus». — *tela sonat*, sonitus telæ pectine percussæ iucundus videbatur antiquis, quare Eurip. Iphig. Taur. 211. ἱστοὺς vocat καλλιφθόγγους et Philippus κερκίδα (i. e. pectinem) cum hirundine comparat Anth. Pal. VI. 247, 1: Κερκίδας ὀρθρολάλοισι χελιδόσιν εἰκελοφώνους; Verg. Ge. I. 294. supra laud. eadem de causa pectinem appellat argutum. — *latere*, latus telæ (i. e. texti) pectini obversum.

V. 67—72. *inter agros . . . Cupido natus*, ut Pervigil. Ven. 76—78: «Ipse Amor puer Dionæ rure natus dicitur: Hunc ager, cum parturiret ipsa, suscepit sinu, Ipsa florum delicatis educavit osculis». — *indomitas . . . inter equas*, cogitandum de furore equarum cupiditate coeundi correptarum, ut infra II. 4, 58—59: «ubi indomitis gregibus Venus adflat amores, Hippomanes cupidæ stillat ab inguine equæ»; cf. infra adn. ad h. l. De eadem re copiose Verg. Ge. III. 266: «Scilicet ante omnes furor est insignis equarum» etc. — *indocto . . . arcu . . . doctas . . . manus*, ut Prop. II. 19, 12: «Et vitem docta ponere falce comas». — *fixisse*, sc. sagittis. — *audaces*, opponitur puellis.

V. 73—78. *dicere iussit Limen ad iratæ verba pudenda senem*, qui a puella exclusus est; cf. supra I. 2, 93. de sene amatore: «Stare nec ante fores puduit». — *pudenda*,

quia, ut supra I. 1, 71—72. legimus: «nec amare decebit, Dicere nec cano blanditias capite». — *custodes . . . iacentes*, qui ante fores cubiculi puellæ iacent et dormiunt; cf. Ov. Am. II. 260. de custode puellæ: «thalami qui iacet ante fores». — *Ad iuvenem tenebris sola puella venit*, e cubiculo per atrium et vestibulum ad ianuam venit, ut iuvenem ibi exspectantem .foribus reseratis recipiat; cf. supra I. 9, 43—44: «Sæpe insperanti venit tibi munere nostro Et latuit clausas post adoperta fores» et adn. ad h. l.; I. 2, 18—20: «reserat fixo dente puella fores: Illa docet furtim molli derepere lecto, Illa pedem nullo ponere posse sono» et ibid. 31—32: «reseret modo Delia postes Et vocet ad digiti me taciturna sonum». — *tenebris*, sine præpositione; cf. adn. supra ad I. 2, 25: «tenebris tota vagor anxius urbe». — *Et pedibus prætemptat iter suspensa timore*, ut Ov. Fast. I. 425—426: «Surgit amans animamque tenens vestigia furtim Suspenso digitis fert taciturna gradu». — *prætemptat iter*, ut Ov. Ib. 260: «Prætemptes baculo luminis orbus iter». — *suspensa*, anxia; cf. Plin. Ep. VI. 4, 3: «est suspensum et anxium». — *Explorat cæcas cui manus ante vias*, ut Ov. Met. X. 455—456: «Nutricisque manum læva tenet, altera motu Cæcum iter explorat» et Pseudo-Verg. Moret. 6: «Sollicitaque manu tenebras explorat».

V. 79—82. *placidus leniter adflat Amor*, secundum ventum et facilem cursum præbet; frequens est amoris cum navigatione comparatio, ut infra II. 3, 71: «quibus aspirabat Amor», ubi cf. adn.; Prop. II. 12, 7—8: «Scilicet alterna quoniam iactamur in unda (sc. nos amantes) Nostraque non ullis permanet aura locis» et ibid. 25, 27: «Mendaces ludunt flatus in amore secundi»; Ov. Rem. 13—14: «Si quis amat, quod amare iuvat, feliciter ardens Gaudeat et vento

naviget ille suo». — *dapibus festis,* dativus: ad dapes. — *pone sagittas Et procul ardentes hinc precor abde faces,* noli nos graviter vulnerare; cf. infra II. 6, 15—16: «Acer Amor, fractas utinam tua tela sagittas, Si licet, exstinctas aspiciamque faces». Duas faces habet Amor; cf. infra IV. 2, 6: «Accendit geminas lampadas acer Amor» et adn. ad. h. l.

V. 83—86. *Vos,* qui festum agitis. — *celebrem,* celebratum, ut infra IV. 4, 23. de Apolline: «Iam celeber, iam lætus eris, cum debita reddet Certatim sanctis lætus uterque focis»; cf. Hor. II. 12, 20: «Diana celebris» et Ov. Met. I. 747: «dea celeberrima». — *pecorique vocate,* ut det feturam largam. — *vocate Voce,* clara voce, palam vocate; est formula sollemnis, ut Verg. Aen. IV. 680—681: «patriosque vocavi Voce deos» et ibid. VI. 247: «Voce vocans Hecaten». — *palam pecori, clam sibi quisque roget,* cf. infra IV. 5, 20: «quid refert, clamne palamne roget?» — *clam sibi quisque,* quia pudet amantes palam fateri vota sua; cf. infra IV. 5, 18. de Cerintho amante: «Nam pudet hæc illum dicere verba palam». — *turba iocosa,* convivæ hilares. — *Phrygio tibia curva sono,* tibia Phrygia, qua Romani in sacrificiis et epulis utebantur, e buxo erat facta et in fine altero in modum cornus curvata; sonum habebat gravem. Cf. Catull. 63, 22: «Tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo» et Ov. Fast. IV. 181: «inflexo Berecyntia tibia cornu».

V. 87—90. *Nox iungit equos,* Nocti bigam tribuit Verg. Aen. IV. 721: «Et Nox atra polum bigis subvecta tenebat», quadrigam Lygd. 4, 17—18: «Iam Nox ætherium nigris emensa quadrigis Mundum». — *currumque sequuntur . . . sidera,* ut Theocr. II. 166: Ἀστέρες εὐκήλοιο κατ' ἄντυγα Νυκτὸς ὀπαδοί. — *Matris,* Nox est mater siderum, ut Eurip.

Electr. 59 : ὦ νὺξ μέλαινα, χρυσέων ἄστρων τροφέ ; Orph. Hymn. VI. 5 : Ἀστέρες οὐράνιοι, νυκτὸς φίλα τέκνα μελαίνης. — *sidera fulva,* cf. infra I. 1, 1 : «fulvo auro» et Verg. Aen. II. 488 : «aurea sidera». — *choro,* motus siderum cum choreis comparabant antiqui, ut Sophocl. Ant. 1146 : ἰὼ πύρπνων ἄστρων χοραγέ et Varr. Sat. Menipp. 269. (ed. Buecheler) : «Cum pictus aër fervidis late ignibus Cæli chorean astricen ostenderet». — *furvis circumdatus alis Somnus,* alas tribuebant Somno antiqui, ut Callim. Hymn. Del. 234 : Οὐδ' ὅτε οἱ ληθαῖον ἐπὶ πτερὸν Ὕπνος ἐρείσῃ et Prop. I. 3, 45 : «Dum me iucundis lapsam Sopor impulit alis». — *incerto pede,* propter motum lapsabundum imaginum, quæ in somniis animo obversantur. — *Somnia nigra,* cf. Ov. Fast. IV. 662 : «Nox venit et secum somnia nigra tahit». Apud Eurip. Hec. 71. Nox est μελανοπτερύγων μήτηρ ὀνείρων.

SULPICIÆ ELEGIDIA.

I.

Lib. IV. eleg. 8.

Introductio. Dicit Sulpicia invisum sibi esse natalem suum ruri et sine Cerintho celebrandum (1—4). Rogat igitur Messallam, propinquum suum, qui puellam in villam Arretinam abducturus erat, ut itinere intempestivo desistat (5—8).

Hoc elegidion et sequentia (IV. 8, 9, 10, 11, 12. et 7.) scripsit Sulpicia, puella nobilissima, filia Servii Sulpicii (cf. IV. 10, 4). Mater eius erat verisimiliter soror Messallæ; cf. Hieronym. ad Iovianum 1. p. 46. Vall.: «Valeria, Messallarum soror, amisso Servio viro nulli volebat nubere. Quæ interrogata, cur faceret, ait sibi semper maritum Servium vivere».

Amator pœtriæ in his carminibus ficto nomine Cerinthus appellatur; erat vero nomine Cornutus, amicus Tibulli, ad quem duas elegias, II. 2. et 3. scripsit poeta.*)

V. 1—4. *Invisus natalis,* sc. dies natalis Sulpiciæ. — *sine Cerintho,* sperabat enim in urbe natali suo Cerinthum ad se venturum. — *Arretino . . . agro,* erat igitur apud

* Cf. infra Excurs. VI.

Arretium in Etruria villa Messallæ. — *amnis,* Arnus, qui descendens ex Apennino Arretium præterfluit.

V. 5—8. *nimium Messalla mei studiose,* qui nimio erga me studio molestus mihi es. — *Non tempestivæ sæpe . . . viæ,* sæpe non sunt tempestiva (mihi opportuna) itinera, quæ tu mecum facere vis. — *propinque,* ita alloquitur Messallam, qui avunculus eius erat. — *Hic,* sc. in urbe. — *abducta,* contra voluntatem suam ; cf. infra II. 3, 61 : «Nemesim quæ abducis ab urbe». — *Arbitrio . . . esse meo,* ad arbitrium meum vivere.

II.

Lib. IV. eleg. 9.

Introductio. Nuntiat Sulpicia Cerintho abiectum esse consilium itineris et licere sibi in urbe manere natali suo : ab omnibus nunc amicis celebratum iri diem foreque lætissimum amatori.

V. 1—4. *iter . . . sublatum,* Messalla igitur destitit ab itinere faciendo. — *ex animo . . . puellæ,* ad voluntatem, ad optatum eius. — *natali,* sc. die natali Sulpiciæ. — *tuæ,* supple : puellæ, ut infra IV. 7, 8 : «meus» pro : meus amator. Cf. adn. supra ad I. 4, 75 : «suæ» et Hor. Carm. I. 15, 32 : «Non hoc pollicitus tuæ» sc. amicæ. — *Omnibus . . . nobis,* intellegendi sunt amici Sulpiciæ et Cerinthi, inter quos erat Tibullus, amoris eorum conscii. — *agatur,* celebretur ; cf. Hor. Carm. IV. 11, 14 : «idus tibi sunt agendæ». — *Qui necopinanti nunc tibi forte venit,* nam Cerinthus non speravit se hunc diem una cum puella sua celebraturum esse. Videtur Sulpicia ante oculos habuisse Tib. I. 9, 43 : «Sæpe insperanti venit tibi munere nostro».

III.

Lib. IV. eleg. 10.

Introductio. Sulpicia infidelitatem obicit Cerintho: suspicatur enim eum a puella quadam vulgari esse captum. Quare memor nobilitatis suæ amatorem hac epistula acerba cum ironia carpit.

V. 1—6. *Gratum est, securus multum quod iam tibi de me Permittis, subito ne male inepta cadam,* sensus est fere talis: gratum est mihi, quod tu, de me iam multum securus, tibi permittis, nam hæc infidelitas tua me impediet, ne inepto amore abrepta me totam tibi tradam. Iam enim voluit pudore puellari abiecto in amplexus ire Cerinthi, sed nunc videt eum non esse dignum munere tanto. — *Gratum est,* sc. mihi; ironice dictum. — *securus multum . . . de me,* de amore meo valde securus, i. e. confidens te a me tantopere amari, ut ne infidelitas quidem tua me a te abalienare possit. Cf. Ov. Am. II. 19, 37: «At tu, formosæ nimium secure puellæ». — *male inepta,* inepto erga te amore abrepta; cf. supra Tib. I. 4, 24: «Iurasset cupide quidquid ineptus amor». *Male* hoc loco auget significationem verbi adiecti, ut Hor. Sat. I. 3, 45—46: «male parvus Si cui filius est» et Catull. 10, 33: «Sed tu insulsa male ac molesta vivis». — *cadam,* me tibi dedam, tibi succumbam, corporis mei copiam tibi faciam, ut Plaut. Pers. IV. 4, 105. (de puella): «Ne sis plora, libera eris actutum, si crebro cades» et Senec. Controv. I. 3, 7: «putares puellam demitti, non cadere». — *cura togæ,* amor erga meretricem, nam meretrices togam gerebant; cf. adn. ad I. 6, 67—68: «quamvis non vitta ligatos Impediat crines, nec stola longa pedes». — *pressumque quasillo scortum,* meretrix, quæ olim erat serva

lanifica et in capite portabat quasillos graves. — *pressum*, oneratum, ut supra Tib. I. 3, 40: «Presserat externa navita merce ratem»; *quasillus* autem est calathus lana gravis, ubi pensa diurna ponebantur; cf. Prop. III. 15, 15: «O quotiens famulam pensis oneravit iniquis» et IV. 7, 41: «graviora rependit iniquis pensa quasillis». — *Solliciti sunt pro nobis*, pro me; agitur de amicis Sulpiciæ supra IV. 9, 3. commemoratis; cf. adn. ad h. l. — *quibus illa dolori est*, qui dolent vilem illam puellam Sulpiciæ præferri. — *Ne*, iunge cum: solliciti sunt. — *cedam ignoto . . . toro*, postponar amicæ humili loco natæ, ut Lygd. 6, 60: «Ignotum cupiens vana puella torum» i. e. coniugem obscuræ originis. *Torus* igitur hoc loco amicam, puellam amatam significat. — *maxima causa* est Sulpicia ipsa, puella nobilissima, digna, quæ maximo certamine a procis petatur. Locutio a rebus forensibus ducta, quia causa est res, de qua in lite apud iudices agitur.

IV.

Lib. IV. eleg. 11.

Introductio. Sulpicia morbo gravi laborans scribit Cerintho se non aliter morbum evincere velle, quam si Cerinthum quoque de salute sua sollicitum esse sciat.

V. 1—6. *pia cura*, ut Ov. Her. 8, 15: «cura mei si te pia tangit». — *corpora fessa*, sc. morbo, ut infra apud Tibullum ipsum IV. 4, 10. — *calor*, febris. — *evincere*, ut Colum. De re rust. VI. 5: «Evincendi autem sunt quamvis pestiferi morbi et propulsandi». — *lento pectore*, non commoto, ut infra Tib. II. 6, 36: «sis mihi lenta, veto» et Prop. II. 14, 14: «Nec mihi ploranti lenta sedere potest».

V.

Lib. IV. eleg. 12.

Introductio. Sulpicia puellari pudore mota præterita nocte deseruit Cerinthum, qui ad eam venerat. Nunc se excusat et stulte fecisse confitetur.

V. 1—6. *Ne tibi sim . . . cura*, ut infra Tib. II. 3, 31: «cui sua cura puella est». — *mea lux*, de iuvene amato, ut infra Tib. IV. 3, 5; de puella amata Catull. 68, 132. et Prop. II. 14, 29; 29, 1. Blanda allocutio amantium idemque fere significat, quod: «mea vita» (Catull. 109, 1.) et simpliciter: «vita» (Prop. I. 2, 1.).

VI.

Lib. IV. eleg. 7.

Introductio. Sulpicia tandem votis potita est: iuveni amato se dedidit neque eam, quod fecit, pudet aut pænitet (1—6). Puri castique amoris sibi conscia dicit se culpam simulando celare nolle (7—10).*

V. 1—6. *qualem texisse* etc., iunge: qualem occultare magis pudori sit mihi, quam alicui aperire. — *Fama*, alloquitur Famam personificatam, cui, ut infra vs. 9. dicit, vultus componere (i. e. simulare) non vult, sed amorem ingenue fatetur. Magni enim animi puella non timet Famam, quæ amores illegitimos persequi solet; cf. Verg. Aen. IV. 170—173: «neque enim specie famave movetur, Nec iam furti-

* Cf. infra Excurs. VII.

vum Dido meditatur amorem; Coniugium vocat: hoc prætexit nomine culpam. Extemplo Libyæ magnas it Fama per urbes» etc.; Stat. Silv. I. 2, 28—29: «Fama, tace: subiit leges et frena momordit Ille solutus amor: consumpta est fabula vulgi». — *Exorata meis . . . Cytherea Camenis*, videtur igitur Sulpicia ὕμνον κλητικὸν ad Venerem scripsisse opemque deæ implorasse, ut olim Sappho fecit carmine dulcissimo, quod nobis Dionys. De comp. verb. c. 23. servavit (cf. Bergk: Poet. Lyr. Græc. t. III. p. 84.) — *illum*, sc. Cerinthum. — *deposuitque*, in collocatione coniunctionis *que* Sulpicia Tibullum sequi videtur; cf. adn. supra ad Tib. I. 10, 51: «Rusticus e lucoque». — *Cytherea*, Venus ab insula Cytherorum, ubi dea in mari nata (cf. adn. supra ad. I. 2, 39—40.) in litus escendit; cf. Hesiod. Theog. 195. et 197—198: «τὴν δ' Ἀφροδίτην . . . Κικλήσκουσι θεοί τε καὶ ἀνέρες, οὕνεκ' ἐν ἀφρῷ Θρέφθη· ἀτὰρ Κυθέρειαν, ὅτι προσέκυρσε Κυθήροις. — *Camenis*, carminibus, ut supra Tib. I. 9, 48: «Pieridum» i. e. carminum. — *Exsolvit promissa Venus*, vidit fortasse aliquando puella felix omen, unde Venerem ei propitiam esse felicitatemque promittere apparuit. — *mea gaudia narret*, etc., famam amoris mei differant invidi, qui talibus gaudiis nunquam sunt potiti. — *gaudia*, Veneris gaudia, ut supra Tib. I. 5, 39: «sed cum iam gaudia adirem»; cf. adn. ad h. l. — *sua*, sc. gaudia.

V. 7—10. *Non ego* etc., puella amorem suum adeo non celat, ut epistulas suas amatorias apertas velit ad Cerinthum mittere. — *signatis . . . tabellis*, tabulis ceratis anulo obsignatis; cf. adn. infra ad II. 6, 45—46: «tabellas Occulto portans itque reditque sinu». — *Ne legat id nemo*, pro: ne quis legat; duæ negationes, ut Prop. II. 19, 32: «Absenti nemo ne nocuisse velit» et Ov. Ex Pont. I. 1, 66: «Ne non peccarim, mors quoque non faciet». Videtur hoc ex sermone

vulgari in poesin irrepsisse. — *quam meus ante*, antequam meus; cf. Prop. II. 25—26: «Septima quam metam triverit ante rota». — *meus*, sc. amator; cf. adn. supra ad IV. 9, 2: «tuæ». — *vultus componere famæ,* composito vultu culpam dissimulare famæ causa. — *cum digno digna fuisse,* per euphemismum concubitum ipsum significat; cf. Ov. A. A. III. 663—664: «Hæc quoque, quæ præbet lectum studiosa locumque, Crede mihi, mecum non semel illa fuit»; Varr. De l. l. VI. 80: «Violavit virginem pro vitiavit dicebant æque eadem modestia potius cum muliere fuisse quam concubuisse dicebant».

TIBULLI ELEGIDIA DE AMORE SULPICIÆ.

I.

Lib. IV. eleg. 2.

Introductio. Verba ad Martem, ut ipse e caelo veniat spectatum Sulpiciam Kalendis suis, festo Matronalium, ornatissimam (1—4). Describitur pulchritudo puellæ (5—14.), quæ sola digna est vestibus purpureis, odoribus et gemmis (15—20). Celebret hoc festum multos per annos cantentque laudes eius Musæ cum Apolline (21—24).

Tibullus, amicus Sulpiciæ et Cerinthi amorisque eorum conscius, perlectis puellæ carminibus (IV. 7—12.) supra explicitis, amorem hunc elegidiis celebrandum sibi sumpsit poemataque in honorem Sulpiciæ scripta doni festivi loco ei misit Kalendis Martiis, die Matronalium, quo matronis et puellis mariti, amici et propinqui munera mittere solebant. Est igitur hoc carmen (IV. 2.) dedicatio doni, donum autem ipsum constat ex carminibus (IV. 3—6.) sequentibus.*

V. 1—4. *tibi culta,* in honorem tuum ornata, ut infra IV. 6, 3. de Iunone: «Lota tibi est hodie, tibi se lætissima compsit». Matronalibus in honorem Iunonis Lucinæ se exornabant mulieres, sed, quia festum Kalendis Martiis

* Cf. infra Excurs. VIII.

celebrabatur. etiam Mars honoris particeps esse videbatur. — *si sapis,* si prudens es; iocose dictum — *Hoc Venus ignoscet,* propter pulchritudinem Sulpiciæ; cf. Prop. II. 28, 33., ubi Iovis auxilium implorat Cynthiæ ægrotanti: «Hoc tibi vel poterit coniunx ignoscere Iuno». — *violente,* ut βιατὰς Ἄρης Pind. Pyth. I. 10. — *Ne tibi miranti turpiter arma cadant,* subito aspectu perculsis sæpe accidere solet, ut, quidquid manu tenent, emittant; cf. Prop. IV. 4, 21—22: «Obstupuit regis facie et regalibus armis Interque oblitas excidit urna manus»; Ov. Met. XIV. 350: «Obstipuit: cecidere manu, quas legerat, herbæ».

V. 5—8. *exurere,* amore incendere. — *geminas lampadas,* faces; de facibus Amoris cf. supra II. 1, 82: «ardentes hinc precor abde faces» et infra II. 6, 16: «exstinctas aspiciamque faces»; Prop. II. 3, 14. de oculis Cynthiæ: «geminæ, sidera nostra, faces». — *acer Amor,* fervidus; eodem epitheto ornatur Amor infra II. 6, 15. — *vestigia movit,* pedes, ut Prop. I. 3, 9: «Ebria cum multo traherem vestigia Baccho». De decore incessus cf. Ov. A. A. III. 299—300: «Est et in incessu pars non contempta decoris: Allicit ignotos ille fugatque viros». — *Componit furtim subsequiturque Decor,* locum respicere videtur Quintil. Inst. Or. I. 11, 19: «Neque enim gestum oratoris componi ad similitudinem saltationis volo, sed subesse aliquid ex hac exercitatione puerili, unde nos non id agentes *furtim decor* ille discentibus traditus prosequatur». Cf. Plaut. Most. I. 3, 17: «Virtute formæ id evenit, te ut deceat, quidquid habeas». — *Componit,* in ordinem redigit ut servus vestem dominæ; *furtim,* non animadversus; agitur enim de decore innato, non arte quæsito. Cf. Paul. Silent. Anth. Pal. V. 260, 7: Μορφὴν τριχθαδίην Χαρίτων τριὰς ἀμφιπολεύει. — *subsequiturque,* ut pedisequus. — *Decor,* personificatus.

V. 9—14. *compsit,* arte disposuit. — *veneranda,* ut dea quædam. — *urit,* amore incendit. — *Tyria . . . palla,* purpurea; cf. supra I. 9, 70: «Tyrio prodeat apta sinu» et IV. 6, 13: «purpureaque veni perlucida palla». — *procedere,* prodire in conspectum hominum, ut Prop. I. 2, 1: «Quid iuvat ornato procedere, vita, capillo?» — *palla,* pallam gerebant matronæ supra stolam; cf. adn. supra ad I. 6, 67—68: «quamvis non vitta ligatos Impediat crines nec stola longa pedes». — *nivea candida veste,* qualis induebatur diebus festis in honorem deorum; cf. supra adn. ad II. 1, 16: «candida turba». — *felix Vertumnus,* deus anni vertentis fertilitatisque variæ per vices temporum, deinde omnium mutationum, qui varios induere solebat ornatus et in omnes figuras aptus esse putabatur, quare hoc loco felix præ ceteris diis dicitur. Felicem dicunt ipsi dii Apollinem propter artem medendi infra IV. 4, 25—26: «Tunc te felicem dicet pia turba deorum, Optabunt artes et sibi quisque tuas». — *Mille habet ornatus, mille decenter habet,* cf. de Vertumno Prop. IV. 2, 21—22: «Opportuna mea est cunctis natura figuris: In quascumque voles, verte: decorus ero» et Ov. Met. XIV. 684—685: «Adde, quod est iuvenis, quod naturale decoris Munus habet formasque apte fingetur in omnes».

V. 15—20. *caris . . . sucis,* pretiosis; agitur enim de suco muricis. — *vellera . . . bis madefacta,* dibapha, i. e. bis tincta, quæ erant pretiosissima; cf. Hor. Carm. II. 16, 35—37: «te bis Afro Murice tinctæ Vestiunt lanæ» et Epod. 12, 21: «Muricibus Tyriis iteratæ vellera lanæ»; Plin. N. H. IX. 137: «Nepos Cornelius, qui divi Augusti principatu obiit: «Me, inquit, iuvene violacea purpura vigebat, cuius libra denariis centum venibat, nec multo post rubra Tarentina. Huic successit dibapha Tyria, quæ in libras de-

nariis mille non poterat emi. Hac P. Lentulus Spinther ædilis curulis primus in prætexta usus improbabatur». — *Possideatque, metit quidquid bene olentibus arvis Cultor odoratæ dives Arabs segetis.* cf. infra II. 2, 3—4: «Urantur pia tura focis, urantur odores, Quos tener e terra divite mittit Arabs». — *metit,* eodem verbo utitur de turis collectione Plin. N. H. XII. 54. et 58; Tibullum imitatur Stat. Silv. V. 3, 43: «odoratas nec Arabs decerpit aristas». — *Cultor odoratæ dives Arabs segetis,* Arabiæ pars meridionalis, quæ Arabia Felix vocabatur, erat patria arborum et fruticum odoratorum, præcipue turis et murræ; cf. Plin. N. H. V. 65: «(Arabiam) odoriferam illam ac divitem et beatæ cognomine inclutam»; Curt. V. 1, 11: «odorum fertilitate nobilis regio»; Prop. III. 13, 8: «multi pastor odoris Arabs». — *Cultor*, arbor turis sponte quidem nascitur, tamen cultura quadam eget debetque cortex eius magna cum cura incidi, ut tus effluat; cf. Plin. N. H. XII. 59—60. Inciditur etiam murra, ut Plin. ibid. 68. docet. — *odoratæ . . . segetis,* ut supra I. 3, 61: «fert casiam non culta seges»; cf. adn. ad h. l. — *dives Arabs,* divitiæ Arabiæ Felicis in proverbium abierunt apud Romanos; cf. Hor. Carm. I. 29, 1—2: «beatis nunc Arabum invides Gazis» et Ep. I. 7, 35—36: «nec Otia divitiis Arabum liberrima muto». — *niger . . . Indus,* sole adustus; cf. infra II. 3. 55—56: «comites fusci, quos India torret, Solis et admotis inficit ignis equis». — *rubro de litore gemmas . . . colligit Indus,* credebant antiqui undis maris Rubri eici lapides pretiosos (gemmas) et margaritas, quas Indi colligerent; cf. infra II. 2, 15—16: «gemmarum quidquid felicibus Indis Nascitur, eoi qua maris unda rubet»; Curt. Ruf. VIII. 9, 19: «gemmas margaritasque mare (rubrum) in litus infundit»; Prop. III. 16, 17: «Semper in Oceanum mittit me quærere gem-

mas» et I. 14, 12: «Et legitur rubris gemma sub æquoribus»; Lygd. 3, 17: «in Erythræo legitur quæ litore concha»; Ov. A. A. III. 129—130: «Vos quoque non caris aures onerate lapillis, Quos legit in viridi decolor Indus aqua». — *rubro de litore,* litus maris Rubri; mare Rubrum sive Erythræum vocabatur pars oceani Indici inter Arabiam et Indiam sita; cf. Verg. Aen. VIII. 686: «Victor ab Auroræ populis et litore rubro». — *eois . . . aquis,* Oceano orientali, ut infra II. 2, 16: «eoi maris»; cf. Catull. 11, 2—3: «Sive in extremos penetrabit Indos, Litus ut longe resonante eoa Tunditur unda» et Prop. IV. 3, 10: «Ustus et eoa discolor Indus aqua».

V. 21—24. *Hanc vos, Pierides, festis cantate Kalendis,* invocat Musas Sulpiciam cantaturus; cantat autem puellam elegidiis sequentibus, IV. 3—6. — *Pierides,* cf. adn. supra ad I. 4, 61. — *Et testudinea Phoebe superbe lyra,* ut infra IV. 4, 2: «intonsa Phœbe superbe coma». — *testudinea,* testudine ornata; cf. Lygd. 4, 37—38. de lyra Apollinis: «Artis opus raræ, fulgens testudine et auro, Pendebat læva garrula parte lyra». *Testudinea* (plur.) supellectilem testudine ornatam significant apud Iavol. Digest. XXXII. 1, 100. §. 4. Cf. etiam Prop. IV. 6, 31—32. de Phœbo: «Non ille attulerat crines in colla solutos, Aut testudineæ carmen inerme lyræ». — *superbe,* iunge cum *lyra.* — *Hoc sollemne sacrum multos huic fumet in annos,* Sulpicia hoc festum Iunonis videat et celebret multos per annos, i. e. poeta longam vitam optat puellæ sollemni hoc die voto. — *sollemne sacrum,* sacrificium festo die diis offerendum, ut Cic. Legg. II. 8, 19: «sacra sollemnia obeunto», Flor. I. 7, 16: «Fabium pontificem ab arce dimisit, qui sollemne sacrum . . . conficeret». Matronæ scilicet Kalendis Martiis sacrificabant Iunoni Lucinæ. — *multos . . . in annos,* per

annos, ut Hor. Carm. I. 32, 2—3: «quod et hunc in annum Vivat et plures». — *huic fumet*, videat fumum sacrificii in ara Iunonis; cf. Lucr. VI. 752: «fumant altaria donis»; Hor. Carm. III. 18, 7—8: «vetus ara multo Fumat odore». Ceterum *huic* est mea coniectura; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *Dignior est vestro nulla puella choro*, quæ in chorum Musarum recipiatur tamquam Musa decima; erat enim Sulpicia poetria doctissima. Cf. infra adn. ad IV. 6, 2: «docta puella» et Prop. II. 30, 37—38. de Cynthia poetria in chorum Musarum a Baccho ductarum recepta: «(Musæ) te prima statuent in parte choreæ Et medius docta cuspide Bacchus erit». Poetæ enim adiungunt se choro Musarum; cf. Prop. III. 2, 13—14: «At Musæ comites et carmina cara legenti Et defessa choris Calliopea meis» et III. 5, 19—20: «Me iuvet in prima coluisse Helicona iuventa Musarumque choris implicuisse manus».

II.

Lib. IV. eleg. 3.

Introductio. Cerinthus cum patre venatum abiit. Sulpicia metu vexata ad aprum verba facit, ne vulneret amatorem (1—4.), deinde venationem detestatur (5—10). Toleraturam tamen se ipsam venandi labores affirmat, si modo cum Cerintho in silvis esse et ibi Venere frui possit (11—18). In fine monet iuvenem, ne ab aliis puellis se capi patiatur, sed quam primum ad amicam recurrat (19—24).

V. 1—4. *Parce meo iuveni . . . aper,* puellis amantibus præcipue formidatus, quia Adonim a Venere amatum occidit; cf. Prop. II. 13, 53—54: «qui niveum quondam per-

cussit Adonem Venantem Idalio vertice durus aper». — *Nec tibi sit... acuisse,* cf. adn. ad I. 6, 24: «Tunc mihi non oculis sit timuisse meis». — *duros acuisse in proelia dentes,* aper in stipitibus arborum dentes exacuere fertur; cf. Ov. Met. VIII. 369: «Dentibus ille ferox in querno stipite tritis».

V. 5—10. *Delia,* Diana in insula Deli nata. — *deficiantque canes,* defatigati venari desinant. — *Quis furor est,* eadem verba initio hexametri Ov. Am. III. 14, 7. — *quæ mens,* insania, ut Ov. Met. V. 13: «Quæ te, germana, furentem Mens agit in facinus?» — *densos . . . colles,* ubi densa silva est. — *indagine colles Claudentem,* retibus, ut I. 4, 49: «insidiis . . . claudere valles»; cf. Verg. Aen. IV. 121: «saltusque indagine cingunt» et Ov. Met. VII. 766: «Venimus et latos indagine cinximus agros». — *Candidaque hamatis crura notare rubis,* ut Prop. IV. 4, 28: «Rettulit hirsutis bracchia secta rubis». Poeta ante oculos habuisse videtur Varr. Sat. Menipp. 296. (ed. Buecheler): «Sin autem delectationis causa venamini, quanto satius est salvis cruribus in circo spectare, quam his descobinatis in silva cursare?» — *Candidaque . . . crura,* de iuvene pulchro, ut Prop. II. 13, 53: «niveum Adonem». — *hamatis,* spinosis, ut Ov. Met. II. 799: «hamatis præcordia sentibus implet».

V. 11—14. *Ipsa ego per montes retia torta feram,* servile officium, ut supra I. 4, 50: «nec . . . umeri retia ferre negent»; cf. adn. ad h. l. Tale officium præstitit Oenone Paridi; cf. Ov. Her. 5, 19: «Retia sæpe comes maculis distincta tetendi». Idem facere volebat Phædra Hippolyto; cf. Ov. Her. 4, 41—42: «In nemus ire libet pressisque in retia cervis Hortari celeres per iuga summa canes». Etiam Venus sequebatur Adonim venantem, ut Ov. Met. X. 533. sqq. narrat. — *retia torta,* quæ ex filis tortis constant; cf. adn. supra ad I. 9, 22: «intorto verbere». — *demam celeri*

ferrea vincla cani, copulas, quibus colla canum venaticorum vinciuntur; cf. Ov. Met. VII. 769: «Copula detrahitur canibus» et ibid. VIII. 331—332: «pars retia tendunt, Vincula pars adimunt canibus».

V. 15—18. *lux mea,* ut supra Sulp. IV. 12, 1: «mea lux»; cf. adn. ad h. l. — *ante ipsas concubuisse plagas,* poeta veterum heroinarum licentiam tribuit Sulpiciæ. — *plagas,* in quas feræ agitantur, ut iis intricatæ interfici possint; cf. Hor. Carm. I. 1, 28: «Seu rupit teretes Marsus aper plagas». — *Veneris cupidæ gaudia,* cf. adn. supra ad I. 6, 14: «mutua Venus».

V. 19—24. *Nunc sine me sit nulla Venus, sed lege Dianæ, Caste puer, casta retia tange manu,* cf. Prop. II. 19, 17—18: «Ipse ego venabor: iam me nunc sacra Dianæ Suscipere et Veneri ponere vota iuvat». — *lege Dianæ,* quia deæ castæ grata erat castitas, ut fabula de Hippolyto, Thesei filio, docet. — *meo . . . subrepit amori,* iuveni a me amato, ut eum pelliciat; cf. supra I. 8, 59: «possum media quamvis obrepere nocte» et adn. ad h. l. — *amori,* ponitur pro iuvene amato, ut supra I. 6, 35: «absentes alios suspirat amores» i. e. amatores; cf. adn. ad h. l. — *parenti,* sc. tuo. Una cum patre igitur venabatur Cerinthus. — *in nostros ipse recurre sinus,* ut Prop. III. 20, 10: «in nostros curre, puella, toros» et Ov. Her. 15, 95: «Huc ades inque sinus, formose, relabere nostros».

III.

Lib. IV. eleg. 4.

Introductio. Poeta Apollinem, deum medicinæ, invocat, ut morbum formosæ puellæ pellat (1—8). Vocat denuo deum, ut veniat cum cantibus et medicamentis liberetque

metu amantem anxium (8—14). Deinde ad Cerinthum conversus eum bono animo esse iubet: salvam fore puellam, modo mente fideli eam amet (15—18). In fine tertium invocat Phœbum: faveat amantibus puellaque sanata lætus accipiat ab iis dona ex voto debita (19—26).

V. 1—4. *Huc ades*, cf. adn. supra ad I. 7, 49. — *morbos expelle*, ut Hor. Ep. II. 2, 137: «Expulit elleboro morbum bilemque meraco». — *intonsa Phoebe superbe coma*, ut supra IV. 2, 22: «Et testudinea Phœbe superbe lyra». — *intonsa*, cf. adn. supra ad I. 4, 37—38: «Solis æterna est Phœbo Bacchoque iuventas, Nam decet intonsus crinis utrumque deum». — *medicas applicuisse manus*, cf. Verg. Ge. III. 455—456: «Dum medicas adhibere manus ad vulnera pastor Abnegat».

V. 5—10. *macies . . . occupet artus*, ut Hor. Carm. III. 27, 53—54: «Antequam turpis macies decentes Occupet malas». — *informis . . . color*, qualis ægroti corporis esse solet. — *languida membra*, ut infra vs. 13: «quod langueat illa»; cf. Lygd. 5, 28: «Languent ter quinos sed mea membra dies» et Ov. Ex Pont. III. 3, 8: «Fusaque erant toto languida membra toro». *Languida* est coniectura Rigleri; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *In pelagus rapidis evehat amnis aquis*, lustrabantur sive purgabantur ægroti sulfure et ovis; cf. adn. supra ad I. 5, 11: «te circum lustravi sulfure puro». Deinde purgamenta (i. e. res, quibus purgatio fiebat) in flumen proiciebantur; cf. de domibus purgandis Theocr. 24, 86—88: Ἀλλά, γύναι, πῦρ μέν τοι ὑπὸ σποδῷ εὔτυκον ἔστω, Κάγκανα δ' ἀσπαλάθου ξύλ' ἑτοιμάσατ' ἢ παλιούρου Ἢ βάτου ἢ ἀνέμῳ δεδονημένον αὖον ἄχερδον et 91—92: Ἦρι δὲ συλλέξασα κόνιν πυρὸς ἀμφιπόλων τις Ῥιψάτω εὖ μάλα πᾶσαν ὑπὲρ ποταμοῖο φέρουσα; Ov. Fast. VI. 227—228. de æde Vestæ purgata: «Donec ab Iliaca placidus purgamina

Vesta Detulerit flavis in mare Thybris aquis» et ibid. 713—714: «Hæc est illa dies, qua tu purgamina Vestæ, Thybri, per Etruscas in mare mittis aquas». — *sapores*, sucos herbarum salubrium, ut etiam vinum ex uvis expressum *sapor* nominatur supra I. 7, 35; *sapores* nominat herbas saporatas Verg. Ge. IV. 62—63: «huc tu iussos asperge sapores, Trita melisphylla et cerinthæ ignobile gramen» et ibid. 267: «Proderit et gallæ tunsum admiscere saporem». — *cantus*, magici, ut supra I. 5, 12: «Carmine cum magico præcinuisset anus»; cf. adn. ad h. l. — *corpora fessa*, eisdem verbis utitur supra Sulpicia IV. 11, 2: «Quod mea nunc vexat corpora fessa calor». *Fessa*, sc. morbo, ut supra I. 5, 9: «cum tristi morbo defessa iaceres»; *levant*, ut Hor. Carm. sæc. 63—64. de Apolline: «Qui salutari levat arte fessos Corporis artus».

V. 11—14. *fata*, mortem, ut Verg. Ge. II. 491—492: «Atque metus omnes et inexorabile fatum Subiecit pedibus strepitumque Acherontis avari» et Hor. Carm. II. 13, 14—16: «navita Bosporum Thynus perhorrescit neque ultra Cæca timet aliunde fata». — *Votaque pro domina vix numeranda facit*, ut Tibullus pro Delia supra I. 5, 10. et 15—16. — *Dicit in æternos aspera verba deos*, ut supra I. 3, 52: «dicta in sanctos impia verba deos»; cf. adn. ad h. l. et Lygd. 5, 14: «Impia in adversos solvimus ora deos». — *æternos*, immortales, ut infra II. 3, 30.

V. 15—16, 21—22, 17—18. *lædit amantes*, eadem verba in fine hexametri Prop. III. 16, 11: «Nec tamen est quisquam, sacros qui lædat amantes». — *tristior*, irata, ut Prop. I. 6, 10: «illa minatur, Quæ solet ingrato tristis amica viro» et I. 10, 21: «Tu cave, ne tristi cupias pugnare puellæ». — *candida*, agitur de candore animi: sincera mente, vero animi affectu; cf. Hor. Epod. 14, 5: «candide Mæce-

nas» et Ep. I. 4, 1: «Albi, nostrorum sermonum candide iudex» i. e. sincere. — *credula turba*, ceteri amatores Sulpiciæ, qui se amorem puellæ sibi conciliare posse credunt; cf. Ov. Rem. 685—686: «Desinimus tarde, quia nos speramus amari; Dum sibi quisque placet, credula turba sumus». Contrarium dicit Hor. Carm. IV. 1, 30: «Iam nec spes animi credula mutui». — *sedet*, puellam invisit et ægrotæ assidet; cf. Hor. Sat. I. 1, 81—82: «habes, qui Assideat, fomenta paret, medicum roget».

V. 19—20, 23—26. *in uno Corpore servato restituisse duos*, cf. Ov. Am. II. 13, 15. ad Isidem: «Huc adhibe vultus et in una parce duobus» et Prop. II. 28, 41—42. ad Iovem: «Si non unius, quæso, miserere duorum; Vivam, si vivet: si cadet illa, cadam». — *celeber*, celebratus; cf. supra adn. ad II. 1, 83: «celebrem deum». — *debita reddet*, dona ex voto debita; cf. Prop. II. 28, 60. de Cynthia sanata: «Munera Dianæ debita redde choros». — *lætus uterque*, quia voti compotes facti sunt; cf. Verg. Aen. V. 235—236: «Vobis lætus ego hoc candentem in litore taurum Constituam ante aras voti reus». — *artes . . . tuas*, sc. artem medendi.

IV.

Lib. IV. eleg. 5.

Introductio. Sulpicia natalem Cerinthi celebrans semper sibi sanctum hunc diem fore ait: uritur enim amore iuvenis, quem simili igne torreri cupit (1—8). Precatur deinde Genium, ut votis iuvenis ea tantum condicione faveat, si is fideliter amet (9—12.); orat etiam Venerem, ut se Cerinthumque catenis æque firmis vinciat (13—18). In fine repetitur invocatio Genii (19—20).

V. 1—4. *Qui mihi te, Cerinthe, dies dedit*, dies natalis Cerinthi. — *Te nascente . . . Parcæ cecinere*, cf. adn. supra ad I. 7, 1: «cecinere Parcæ». — *novum . . . puellis Servitium*, insolitum, antea non visum. Erat igitur Cerinthus iuvenis pulcherrimus. — *regna superba*, eodem sensu supra I. 9, 80: «Et geret in regno regna superba tuo».

V. 5—8. *Uror*, sc. amore; cf. supra IV. 2, 11. et 12: «urit»; infra IV. 6, 17: «Uritur» et II. 4, 6: «Uror, io, remove, sæva puella, faces». — *iuvat hoc, Cerinthe, quod uror*, ut infra II. 5, 110. de amore: «cum iuvat ipse dolor». — *de nobis mutuus*, de (ex) nostro (meo) igne mutuatus. — *per te dulcissima furta*, ut supra I. 5, 7: «per te furtivi fœdera lecti»; cf. adn. ad h. l. — *furta*, furtim convenerunt amantes, ut docemur infra IV. 6, 11—12: «Nec possit cupidos vigilans deprendere custos Fallendique vias mille ministret Amor». — *Perque tuos oculos per Geniumque*, per oculos, per Genium virorum et per Iunonem feminarum rogare et iurare solebant antiqui; cf. Lygd. 6, 47—48. de puella falsa: «Etsi perque suos fallax iuravit ocellos Iunonemque suam perque suam Venerem»; Terent. Andr. 289: «Quod ego per hanc te dextram oro et Genium tuum»; Hor. Ep. I. 7, 94—95: «Quod te per Genium dextramque deosque Penates Obtestor».

V. 9—14. *Magne Geni*, puella magnum appellat Genium iuvenis amati, ut infra poeta Iunonem puellæ amatæ (IV. 13, 15—16.): «Hoc tibi sancta tuæ Iunonis numina iuro, Quæ sola ante alios est mihi magna deos». Ceterum deus magnus dicebatur Genius sollemni appellatione, ut docet lapis Puteolanus in sylloge inscriptionum Gruteriana p. 110, 7. — *cape tura libens*, sc. a Cerintho die natali oblata; cf. adn. ad I. 7, 53: «tibi dem turis honores». — *votisque faveto*, de votis die natali factis cf. infra II. 2, 10—17. —

calet, sc. amore. — *alios iam nunc suspiret amores*, ut supra I. 6, 35: «absentes alios suspirat amores»; cf. adn. ad h. l. — *infidos . . . relinque focos*, aram viri infidi; credebatur enim Genius die natali ad aram sacrificantis venire; cf. infra II. 2, 1: «venit Natalis ad aras» et ibid. vs. 5: «Ipse suos adsit Genius visurus honores». — *Nec tu sis iniusta, Venus*, esset dea iniusta, si puellam magis ureret, quam Cerinthum. — *æque*, iunge cum *vinctus*. — *uterque*, sc. nostrum.

V. 15—20. *Sed potius valida teneamur uterque catena, Nulla queat posthac nos soluisse dies*, poeta ante oculos habuisse videtur Prop. II. 15, 25—26: «atque utinam sic nos vincire catena Velles, ut nunquam solveret ulla dies». De vinculis amoris loquitur Tibullus etiam infra II. 1. 18—20: «Flavaque coniugio vincula portet Amor, Vincula, quæ maneant semper, dum tarda senectus Inducat rugas inficiatque comas» et II. 4, 3—4: «teneorque catenis Et nunquam misero vincla remittit amor». — *soluisse*, quattuor syllabæ; cf. supra I. 7, 2: «dissoluisse» et ibid. vs. 40: «dissoluenda». — *pudet hæc illum dicere verba palam*, pudet iuvenem ante aram de amore suo loqui, nam propinqui et amici circumstant eum Genio sacrificantem; cf. infra II. 2, 1—2. de natali Cornuti: «venit Natalis ad aras: Quisquis ades, lingua, vir mulierque, fave». Ceterum erat Cornutus iuvenis modestus, qui ne postea quidem, cum iam maritus esset Sulpiciæ et die natali Genio sacrificaret, de amore suo palam loqui voluit; cf. infra II. 2, 9—11: «Adnuat (Genius) et, Cornute, tibi, quodcumque rogabis. En age, *quid* cessas? Adnuit ille: roga. Auguror, uxoris fidos optabis amores». — *Natalis*, Genius, qui etiam deus Natalis vocabatur, ut infra II. 2, 1. et 21. — *Adnue*, de deo votis propitio, ut infra IV. 6, 13; II. 2, 9. et 10.;

II. 5, 121. — *clamne palamne*, Cerinthus igitur clam rogat amorem Sulpiciæ, ut amantes supra II. 1, 83—84. clam invocant Amorem: «Vos celebrem cantate deum pecorique vocate Voce: palam pecori, clam sibi quisque vocet»; cf. adn. ad h. l.

V.

Lib. IV. eleg. 6.

Introductio. Poeta die natali Sulpiciæ invocat Iunonem eius, ut propitia accipiat dona puellæ amantis (1—4). Faveat ei, iuveni amato mutua vincla paret neque eos furtim convenientes a custodibus deprehendi sinat (5—12). Adnuat votis, quæ puella, ne mater audiat, tacita mente nuncupet (13—18). Sit grata pro donis, ut amor eorum firmus maneat (19—20).

V. 1—6. *Natalis Iuno*, ut viri Genio, feminæ Iunoni suæ sacrificabant die natali; cf. Senec. Ep. 110, 1: «singulis enim maiores nostri et Genium et Iunonem dederunt». — *sanctos cape turis acervos*, etiam Iunoni Natali, ut Genio, ture, vino et libo sacrificabant; cf. infra vs. 14: «Ter tibi fit libo, ter, dea casta, mero» et adn. supra ad I. 7, 53—54: «tibi dem turis honores, Liba et Mopsopio dulcia melle feram». — *turis acervos*, ut Ov. Met. V. 131: «Latius aut totidem tollebat turis acervos». — *docta puella*, quia Sulpicia est pœtria; ita nominat Propertius Cynthiam, quæ et ipse pœtria erat, I. 7, 11. et II. 13, 11. et Ovidius Perillam Trist. III. 7, 31. — *Lota tibi est hodie*, nam lavare se debebant, qui ad sacra accedebant; cf. adn. ad I. 3, 25: «pureque lavari». Idem facit Cynthia mane die natali suo Prop. III. 10, 13—14: «Ac primum pura somnum tibi discute lympha Et ni-

tidas presso pollice finge comas». — *tibi*, in honorem tuum; cf. adn. supra ad IV. 2, 1: «tibi culta». — *conspicienda*, cf. adn. supra ad I. 2, 70: «conspiciendus». — *tibi . . . relegat*, tribuit, ut Quint. Inst. Or. præf. l. VI: «Frustra mala omnia ad crimen fortunæ relegamus». Verbum vulgo cum præpositionibus *in* (c. acc.) et *ad* iungitur; Tibullus utitur dativo, ut dicitur: crimen, causam peccati *delegare* alicui. — *occulte cui placuisse velit*, sc. Cerintho, qui veniet ad eam, ut diem natalem puellæ celebret; cf. supra Sulpiciæ ad Cerinthum verba (IV. 9, 3—4.): «Omnibus ille dies nobis natalis agatur, Qui necopinanti nunc tibi forte venit».

V. 7—12. *Sed iuveni quæso mutua vincla para*, idem rogavit Venerem puella supra IV. 5, 13—14: «serviat æque Vinctus uterque tibi». — *Sic*, sc. si mutua vincla parabis iuveni. — *bene compones*, coniunges, copulabis eos; cf. Consol. ad Liv. 301. de coniugio Drusi et Antoniæ: «par bene compositum» et Ov. A. A. II. 385: «Hic bene compositos, hic firmos solvit amores». — *ullæ non ille puellæ Servire aut cuiquam dignior illa viro*, alludit ad verba Sulpiciæ IV. 7, 10: «cum digno digna fuisse ferar». — *ullæ*, pro: ulli, ut Prop. I. 20, 35: «nullæ debita curæ» et III. 11, 57: «toto quæ præsidet urbi». — *servire . . . dignior*, cum infinitivo, ut supra II. 6, 43: «Nec lacrimis oculos digna est fœdare loquaces». — *Nec possit cupidos vigilans deprendere custos*, agitur de furtivo amantium congressu, ut supra IV. 5, 8: «dulcissima furta». — *cupidos*, cf. adn. ad I. 8, 56: «cupidis». — *vias . . . ministret Amor*, ut Prop. III. 16, 15: «Luna ministrat iter».

V. 13—16. *Adnue*, cf. adn. supra ad IV. 5, 20. — *purpureaque veni perlucida palla*, valde lucida, nitida, candida, ut supra IV. 2, 12: «nivea candida veste venit»; cf.

Cic. De div. I. 130: «illustris et perlucida stella». Tibullum imitari videtur Martial. XII. 38, 3. de viro effeminato: «Crine nitens, niger unguento, perlucidus ostro», unde elucet non agi hoc loco de vestibus Cois translucidis, nam tales vestes ne effeminati quidem viri gerebant. Coam vestem gerit interdum Venus (cf. figuram apud Baumeisterum: Denkmäler, s. v. Aphrodite), sed quod decet Venerem, minime decet Iunonem, deam castam (cf. infra vs. 14). Intellege igitur: dea favens et propitia bene ornata et nitida adsit sacrificio, ut infra II. 5, 7—8. de Apolline: «Sed nitidus pulcherque veni: nunc indue vestem Sepositam». — *tibi fit libo*, facere aliqua re: sacrificare; fieri: sacrificari; cf. Verg. Ecl. 3, 77: «Cum faciam vitula pro frugibus» et Liv. XXXVII. 3: «Quibus diis decemviri ex libris ut fieret, ediderant». — *libo*, cf. adn. supra ad I. 7, 54: «liba». — *Præcipit et*, præcipitque: artissime cum pentametro præcedente iungendum; mater enim adstat filiæ sacrificanti eique optanda præcipit. Cf. infra II. 2, 8—9. de sacrificio, quod Genio Cerinthus offert: «(Genius) satur libo sit madeatque mero, *Adnuat et*, Cornute, tibi, quodcumque rogabis». — *studiosa*, pro adverbio: studiose, diligentissime præcipit filiæ optanda. — *quod optet*, id, quod filia optet. — *aliud... rogat*, sc. amorem Cerinthi, quamquam mater noluit eam Cerintho in matrimonium dare. — *tacita . . . mente*, clam, ne mater audiat; cf. Ov. Am. I. 4, 23: «tacita quod mente loquaris». — *iam sua*, sui iuris, suam voluntatem habens; cf. Pers. Sat. V. 88. de servo manumisso: «Vindicta postquam meus a prætore recessi»; Plaut. Pers. 472: «sua nunc est, mea ancilla quæ fuit»; Senec. Ep. 20, 1: «Si te dignum putas, qui aliquando fias tuus».

V. 17—20. *Uritur*, cf. adn. supra ad IV. 5, 5: «Uror». — *Nec, liceat quamvis, sana fuisse velit*, de amore, ut supra

I. 2, 64: «nec te posse carere velim» et infra II. 5, 110: «Et faveo morbo, cum iuvat ipse dolor». — *Sis, Iuno, grata,* cf. adn. supra ad I. 9, 84: «grata sis, dea, mente». — *Iuno,* ex coniectura Gruppii; *ut,* ex coniectura Eberzii; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *Hic idem,* non mutatus. — *votis,* proximo die natali faciendis; dativus, iunge cum *adsit.* — *vetus,* ut vetus: quia spatio anni firmus mansit.

IN NATALEM CORNUTI.

Lib. II. eleg. 2.

Introductio. Cornutus natalem suum celebrat. Poeta invocat Genium, ut sacro propitius adsit (1—8). Adnuat Cornuto, quodcumque rogaturus sit; scit enim Tibullus eum ante omnia fidos amores uxoris rogaturum (9—16). Vota nuncupantur: poeta autem optat, ut amico vota facienti bonæ avis loco Amor alatus appareat (17—20). In fine iterum Genium invocat, ut coniugibus prolem det (21—22).

Cornutus i. e. Cerinthus nunc iam maritus est Sulpiciæ videturque Tibullus hoc carmen amico primum post nuptias natalem celebranti dedicasse.

V. 1—4. *Dicamus bona verba*, festo die et præcipue die natali non nisi bona ominis verba sunt pronuntianda; cf. Ov. Fast. I. 71—72: «Prospera lux oritur: linguis animisque favete! Nunc dicenda bona sunt bona verba die» et Trist. V. 5, 5—6. de natali uxoris: «Lingua favens adsit, nostrorum oblita malorum, Quæ, puto, dedidicit iam bona verba loqui». — *venit Natalis ad aras*, iam veniet Genius sacrificium visurus; cf. infra II. 5, 5—6. ad Phœbum: «Ipse triumphali devinctus tempora lauro, Dum cumulant aras, ad tua sacra veni». — *Natalis*, Genius; cf. adn. supra ad IV. 5, 19. — *ad aras*, cf. Ov. Trist. V. 5, 9—10. de natali uxoris: «Araque gramineo viridis de cæspite fiat Et velet

tepidos nexa corona focos». — *Quisquis ades, lingua . . . fave,* ut supra II. 1, 1: «Quisquis adest, faveat»; cf. adn. ad h. l. — *vir mulierque,* familia, propinqui et amici, qui aram circumstant. — *Urantur pia tura focis, urantur odores,* cf. Curt. Ruf. V. 1, 20: «altaria non ture modo, sed omnibus odoribus cumulaverat». — *pia tura,* quia tus præcipue honori deorum inservit; cf. Ov. Trist. II. 59: «Et pia tura dedi pro te» et Met. VI. 161: «Cum prece tura pia». — *odores,* præter tus etiam alios odores habet Arabia, ut murram et mastichen; cf. Plin. N. H. XII. 53—72. — *tener . . . Arabs,* omnes fere orientales populos effeminatos esse putabant Romani; cf. Catull. 11, 5: «Arabes molles», Verg. Ge. I. 56—57: «nonne vides, croceos ut Tmolus odores, India mittit ebur, molles sua tura *Sabæi*» i. e. incolæ Arabiæ Felicis. — *e terra divite,* ex Arabia Felici; cf. adn. supra ad IV. 2, 18: «Cultor odoratæ dives Arabs segetis».

V. 5—10. *Ipse suos adsit Genius visurus honores,* invocat Genium, ut propitius adsit sacrificio, ut supra I. 7, 53: «Sic venias hodierne»; cf. infra II. 5, 5—6. ad Apollinem: «Ipse . . . ad tua sacra veni». — *Cui decorent sanctas mollia serta comas, Illius puro destillent tempora nardo,* cf. adn. supra ad I. 7, 51—52: «Illius et nitido stillent unguenta capillo Et capite et collo mollia serta gerat». — *puro . . . nardo,* unguento nardino Indico non adulterato; cf. Plin. N. H. XIII. 16: «In hoc genere conveniet meminisse herbarum, quæ nardum Indicum imitarentur, species novem a nobis esse dictas. Tanta materia adulterandi est». — *satur libo sit madeatque mero,* cf. adn. supra ad I. 7, 53—54: «tibi dem turis honores, Liba et Mopsopio dulcia melle feram». — *madeatque,* cf. adn. supra ad II. 1. 30: «madere». — *Adnuat,* cf. adn. supra ad IV. 5, 20: «Adnue».

— *En age, quid cessas?* Cornutus pudore quodam prohibetur de amore erga uxorem palam loqui, ut supra IV. 5, 18: «Nam pudet hæc illum dicere verba palam»; cf. adn. ad h. l.

V. 11—16. *Iam reor hoc ipsos edidicisse deos*, quia Cornutus sæpissime hoc rogavit; cf. Ov. Ex Pont. III. 7, 4: «Quidque petam, cunctos edidicisse reor». — *Fortis arat . . . rusticus*, robustus, obduratus, ut Verg. Ecl. 4, 41: «Robustus quoque iam tauris iuga solvet arator». — *arat valido... bove*, ut Verg. Ge. II. 237: «validis terram proscinde iuvencis». — *gemmarum quidquid felicibus Indis Nascitur, eoi qua maris unda rubet*, cf. adn. supra ad IV. 2, 19—20: «rubro de litore gemmas . . . colligit Indus». — *felicibus*, propter divitias Indiæ gemmis margaritisque abundantis. — *eoi . . . maris*, cf. adn. supra ad IV. 2, 20: «eois aquis». — *unda rubet*, intellege mare Rubrum; cf. adn. supra ad IV. 2, 19: «rubro de litore».

V. 17—22. *Vota cadunt*, verba votorum ex ore Cornuti voventis excidunt, i. e. vota nuncupantur; cf. Verg. Aen. VI. 686: «vox excidit ore», Hor. Ep. I. 18, 12: «verba cadentia tollit», Prop. I. 10, 24: «Nec tibi pro vano verba benigna cadant», Ov. Her. 3, 98: «At mea pro nullo pondere verba cadunt». — *utinam strepitantibus advolet alis*, poeta optat, ut Cornuto vota nuncupanti boni auspicii (bonæ avis) loco Amor alatus appareat. — *Flavaque coniugio vincula*, vincula flava portet Amor tamquam pignus afferens coniugii firmi; flavus est enim color lætitiæ, amoris et nuptiarum; cf. Catull. 61, 8—10. de Hymenæo: «Flammeum cape, lætus huc, Huc veni niveo gerens Luteum pede soccum» et 68, 133—134: «Cupido Fulgebat crocina candidus in tunica»; Ov. Met. X. 1. de Hymenæo: «croceo velatus amictu». Quare sponsæ die nuptiarum flammeo luteo caput

velabant; cf. Plin. N. H. XXI. 46: «lutei video honorem antiquissimum, in nuptialibus flammeis totum feminis concessum». — *tarda senectus*, ut supra I. 10, 40: «pigra senecta»; cf. adn. ad h. l. — *senectus Inducat rugas inficiatque comas*, ut supra I. 8, 42: «Cum vetus infecit cana senecta caput»; cf. Ov. Trist. IV. 8, 2: «Inficit et nigras alba senecta comas» et A. A. II. 117—118: «Et tibi iam venient cani, formose, capilli, Iam venient rugæ, quæ tibi corpus arent». — *Inducat rugas*, sc. faciei (dat.) — *Hac veniat Natalis avi*, hoc bono auspicio Genius ad aras veniat; cf. Ov. Met. VI. 433—434: «Hac ave coniuncti Progne Tereusque, parentes Hac ave sunt facti». — *Hac . . . avi*, ex coniectura Heinsii; cf. infra adn. crit. ad hunc locum. — *avi*, rarior ablativi forma, ut Plaut. Cas. 616: «Qua ego hunc amorem mi esse avi dicam datum?»; Hor. Carm. I. 15, 5—6: «mala ducis avi domum, Quam multo repetet Græcia milite». — *prolemque ministret*, cf. adn. supra ad I. 7, 55:» «succrescat proles.» — *Ludat et ante tuos turba novella pedes*, turba puerorum parvorum ludat ante pedes Cornuti; cf. Hom. Il. V. 408: οὐδέ τέ μιν παῖδες ποτὶ γούνασι παππάζουσιν.

NEMESIS.

I.

Lib. II. eleg. 4.

Introductio. Poeta Nemesin, puellam avaram et crudelem amat, quæ ei triste servitium paravit (1—6). Describit dolores, quos propter eam patitur (7—12). Apollo et Musæ nunc nihil prosunt ei (13—20). Per cædem et sacrilegium dona quærere postremo cogetur (21—26). Quare exsecratur primum auctores et instrumenta luxuriæ, quæ puellas faciant avaras (27—38.), deinde Nemesim ipsam (39—44). Contra laudat bonas (45—50). In fine tamen submittit se imperio dominæ dicitque se tolerare paratum esse ultima mala, quæ sibi imposuerit puella, dummodo placida sit (51—60).

Nemesis est nomen fictum; verum puellæ nomen ignoramus.*

V. 1—6. *Hic,* in hoc rerum statu. in hoc amore. — *libertas . . . paterna,* a patre accepta, ut Ov. Met. III. 590—591: «moriensque mihi nihil ille reliquit Præter aquas: unum hoc possum appellare paternum». — *illa,* vocativo adiectum, ut infra II. 3, 74: «mos precor ille redi». — *teneorque catenis*, ut servus male habitus; cf. adn. supra ad I. 6,

* Cf. infra Excurs. IX.

38: «vincla pedum». — *nunquam misero vincla remittit,* relaxat, ut Ov. Met. IX. 315: «vinclis levor ipsa remissis»; cf. Hor. Carm. III. 27, 67—68. de Amore: «remisso Filius arcu» et Ov. Trist. I. 4, 14: «Cervicis rigidæ frena remittit equo». — *amor,* amor meus, i. e. puella amata, domina mea, ut infra vs. 47: «veteres veneratus amores» i. e. veterem amicam; cf. adn. supra ad I. 6, 35: «alios suspirat amores» et Ov. Her. 16, 96: «Sed nymphis etiam curaque amorque fui». Pronomen possessivum *meus* omissum, ut Prop. I. 2, 1: «Quid iuvat ornato procedere, vita, capillo» i. e. mea vita, mea amica. Puella amatorem vinctum tenet, ut supra I. 9, 79: «me vinctum puer alter habebit» et I. 1, 55: «Me retinent vinctum formosæ vincla puellæ» et Hor. Carm. IV. 11, 23—24: «(puella) tenetque grata Compede vinctum». — *seu quid merui seu nil peccavimus,* ut Ter. Andr. I. 1, 112: «Quid feci? quid commerui aut peccavi?» — *merui,* deliqui; cf. adn. supra ad I. 10, 5: «ille miser meruit». — *nil,* ex coniectura Heinsii; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *urit, Uror, io, remove, sæva puella, faces,* alludit ad servilem pœnam; cf. adn. supra ad I. 9, 21: «Ure meum potius flamma caput». Hunc locum respicit Martial. XIV. 193, 1: «Ussit amatorem Nemesis lasciva Tibullum».

V. 7—10. *O ego ne possim tales sentire dolores, Quam mallem in gelidis montibus esse lapis,* locum ante oculos habuisse videntur Ov. Ex Pont. I. 2, 31—32. et 35: «Felicem Nioben, quamvis tot funera vidit, Quæ posuit sensum saxea facta mali ... Ille ego sum, frustra qui lapis esse velim» et Lygd. 4, 82: «A ego ne possim tanta videre mala». — *Stare vel insanis cautes obnoxia ventis,* cf. Verg. Aen. VI. 471: «Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes». *Stare* immobilitatem significat; cf. adn. supra I. 1, 64: «stat silex». — *insanis ... ventis,* furentibus, ut Ov.

Met. XII. 510: «insanis viribus austri» et Stat. Silv. II. 2, 27: «insani spirant clementius austri». Cf. Verg. Aen. X. 693—694: «velut rupes, vastum quæ prodit in æquor, Obvia ventorum furiis». — *Naufraga . . . unda,* sensu activo: quæ naves frangit, ut Hor. Carm. I. 16, 10: «mare naufragum» et Ov. Met. XIV. 6: «fretum naufragum». — *vitrei... maris,* cærulei, perpetuum maris epitheton, ut supra I. 3, 37: «Nondum cæruleas pinus conscenderat undas»; cf. Hor. Carm. IV. 2, 3—4: «vitreo daturus Nomina ponto» et ibid. I. 17, 20: «vitream Circen» (cf. adn. supra ad I. 5, 46: «cærula Thetis»); Stat. Silv. II. 2, 49: «vitreoque natant prætoria ponto». Est enim *vitrum* herba, quæ etiam isatis (Plin. N. H. XX. 59.) et glastum (Plin. N. H. XXII. 2.), a viris doctis autem hodie *isatis tinctoria L.*, Hungarice *festőfű*, Germanice *Waid* vocatur; ex ea fit color cæruleus. Cf. Cæs. B. G. V. 14, 2: «omnes se Britanni vitro inficiunt, quod cæruleum efficit colorem, atque hoc horribiliores sunt in pugna aspectu»; Vitruv. VII. 14: «Item propter inopiam coloris Indici cretam Selinusiam aut anulariam vitro, quod Græci ἴσατιν appellant, inficientes imitationem faciunt coloris Indici». Color autem Indicus est cæruleus, qui hodie vulgo *indigo* vocatur, ut docet Plin. N. H. XXXV. 46: «maxima auctoritas (colori) Indico . . . Cum cernatur, nigrum, at in diluendo mixturam purpuræ cærulique mirabilem reddit». — *tunderet unda,* ut Catull. 11, 3—4: «Litus ut longe resonante eoa Tunditur unda» et Verg. Aen. V. 124—126: «Est procul in pelago saxum spumantia contra Litora, quod tumidis submersum tunditur olim Fluctibus».

V. 11—14. *Nunc et amara dies et noctis amarior umbra est,* versum imitatur Ov. Her. 12, 169: «Non mihi grata dies, noctes vigilantur amaræ». — *noctis . . . umbra,* tene-

bræ, ut Verg. Ecl. 8, 14. et Aen. II. 621. — *tristi tempora felle madent,* audacter dictum; cf. Ov. Am. I. 6, 55—56: «vitreoque madentia rore Tempora». — *tristi,* amaro; cf. adn. ad I. 5, 50: «Tristia cum multo pocula felle bibat». — *felle madent,* eadem verba in fine pentametri Ov. A. A. II. 520: «Quæ patimur, multo spicula felle madent». — *Nec prosunt elegi,* ne carminibus quidem amatoriis flectitur puella. — *Illa cava pretium flagitat usque manu,* poeta fortasse ante oculos habuit Stratonis epigramma (Anth. Pal. XII. 212, 3—4.): Τὴν χέρα μοι κοίλην προσενήνοχας· ὡς ἀπόλωλα. Μισθὸν ἴσως αἰτεῖς. — *cava . . . manu,* palma ad pecuniam accipiendam porrecta; cf. Prop. I. 3, 24: «Nunc furtiva cavis poma dabam manibus» et Suet. Aug. 91: «stipem quotannis die certo emendicabat (sc. Augustus) a populo, cavam manum asses porrigentibus præbens».

V. 15—20. *Non ego vos, ut sint bella canenda, colo,* nolo scribere carmen heroicum; id enim non flectit puellas, ut etiam Prop. II. 34, 45—46. dicit: «Tu non Antimacho, non tutior ibis Homero: Despicit et magnos recta puella deos». — *Nec refero* etc., nolo scribere carmen didacticum de rerum natura, ut Prop. II. 34, 51—52. de puellis dicit: «Harum nulla solet rationem quærere mundi, Aut cur fraternis luna laboret equis». — *refero solisque vias et qualis, ubi orbem Complevit, versis luna recurrit equis,* argumentum carminis de rerum natura; poeta ante oculos habuisse videtur Prop. III. 5. (ubi agitur de quæstionibus philosophiæ naturalis) vss. 27—28. et 34: «unde coactis Cornibus in plenum menstrua luna redit . . . Solis et atratis luxerit orbis equis»; cf. Verg. Aen. I. 742. de Iopa: «Hic canit errantem lunam solisque labores» et Ge. II. 477—478. de Musis: «(mihi) cælique vias et sidera monstrent, Defectus solis varios lunæque labores». — *solisque vias,* an-

nuas per zodiacum; cf. Verg. Aen. VI. 796: «Extra anni solisque vias». — *ubi orbem Complevit*, postquam plena est facta; cf. Ov. Her. 2, 3: «Cornua cum lunæ pleno semel orbe coissent». — *versis luna recurrit equis*, forma paulatim decrescente redit ad initium; cf. Ov. Trist. I. 8, 2: «conversis Solque recurret equis». De equis Lunæ cf. adn. supra ad I. 8, 21: «curru». — *recurrit*, indicativus in interrogatione indirecta secundum exemplum Prop. III. 5, 27–28: «(perdiscere) Qua venit exoriens, qua deficit, unde coactis Cornibus in plenum menstrua luna redit». — *Ad dominam faciles aditus per carmina quæro*, communi poetarum eroticorum proposito; cf. Ov. Am. II. 1, 29. et 33—36: «Quid mihi profuerit velox cantatus Achilles? . . . At facie teneræ laudata sæpe puellæ Ad vatem, pretium carminis, ipsa venit: Magna datur merces, heroum clara valete Nomina, non apta est gratia vestra mihi».

V. 21—26. *per cædem et facinus*, ut Cic. Agrar. II. 28: «Quinque hominum milibus ad vim, facinus, cædem delectis» et ibid. III. 4: «ad vim, ad facinus, ad cædem accommodatus». — *Ne iaceam clausam flebilis ante domum*, ut supra I. 1, 56: «Et sedeo duras ianitor ante fores». — *flebilis*, sensu activo: flens, ut Hor. Carm. IV. 2, 21: «flebili sponsæ» et A. P. 123: «flebilis Ino»; Ov. Am. III. 6, 68: «Spargebat tepidos flebilis imbre sinus». Amantes enim ante ianuam clausam flere solent; cf. Ov. Am. I. 16, 18: «Uda sit ut lacrimis ianua facta meis». — *suspensa . . . insignia*, dona votiva (ἀναθήματα) pretiosa, quæ sunt ornamenta templi; cf. Val. Flacc. VII. 48: «Cur age non templis sacrata avellere dona Omnibus . . . libet?» — *sacrilegas sentiat illa manus*, vult igitur Veneris templum expilare.

V. 27—30. *O pereat*, vss. 27—33. poeta ante oculos habuit

Prop. III. 13, 4—9, ubi agitur de avaritia puellarum: «Luxuriæ nimium libera facta via est. Inda cavis aurum mittit formica metallis Et venit e rubro concha Erycina salo, Et Tyros ostrinos præbet Cadmea colores . . . Hæc etiam clausas expugnant arma pudicas». — *quicumque legit viridesque smaragdos Et . . . tingit,* intellege; quicumque et virides smaragdos legit et ovem murice tingit. — *legit . . . smaragdos,* cf. adn. supra ad IV. 2, 19—20: «rubro de litore gemmas . . . colligit Indus» — *niveam Tyrio murice tingit ovem,* lanam purpura; cf. Lygd. 3, 18: «Tinctaque Sidonio murice lana» et Ov. A. A. III. 170: «Nec quæ de Tyrio murice, lana, rubes». — *Hic,* sc. qui smaragdos legit et lanam murice tingit. — *dat avaritiæ causas,* irritamenta, nutrimenta avaritiæ; cf. Ov. Am. II. 17, 34: «Ingenio causas tu dabis una meo» et Fast. IV. 96: «Illa satis causas arboribusque dedit». — *Coa . . . vestis,* vestis bombycina tenuis et translucida, texta in insula Coa; gerebatur a meretricibus. Cf. infra II. 3, 53—54: «vestes tenues, quas femina Coa Texuit»; Plin. N. H. XI. 76: «telas araneorum modo texunt ad vestem luxumque feminarum, quæ bombycina appellatur. Prima eas redordiri rursusque texere invenit in Coo mulier Pamphile, Platæ filia, non fraudanda gloria excogitatæ rationis, ut denudet feminas vestis»; Prop. I. 2. 2. de Cynthia: «tenues Coa veste movere sinus»; Hor. Sat. I. 2, 101—102. de meretrice: «Cois tibi pæne videre est Ut nudam». — *e rubro lucida concha mari,* margarita; cf. Lygd. 3, 17: «Quidve in Erythræo legitur quæ litore concha»; Prop. III. 13, 6: «Et venit e rubro concha Erycina salo»; Ov. A. A. III. 124: «Lectaque diverso litore concha venit». — *rubro . . . mari,* cf. adn. supra ad IV. 2, 19: «rubro de litore».

V. 31—34. *hinc clavim ianua sensit,* cœperunt puellæ

ianuas claudere, ut ab amatoribus pecuniam exigerent. — *Et coepit custos liminis esse canis*, cf. adn. supra ad I. 6, 32: «canis». — *Sed pretium si grande feras, custodia victa est, Nec prohibent claves et canis ipse tacet*, idem fere dicit auctorem Græcum antiquiorem cum Tibullo communem secutus Antipater Thessalonicensis (Anth. Pal. V. 30, 3—4.): Ἢν μὲν γὰρ τὸ χάραγμα φέρῃς, φίλος· οὔτε θυρωρὸς Ἐν ποσίν, οὔτε κύων ἐν προθύροις δέδεται; Tibulli locum respicere videntur Prop. IV. 5, 47—48: «Ianitor ad dantes vigilet: si pulset inanis, Surdus in obductam somniet usque seram» et Ov. Am. III. 8, 63—64: «Me prohibet custos, in me timet illa maritum: Si dederim, tota cedet uterque domo».

V. 35—38. *attulit*, addidit. — *infamis nunc deus esset Amor*, nunc, sc. ætate ferrea; cf. infra II. 3, 31: «Fabula nunc illa est», ubi ferreum sæculum opponitur simplicitati antiquitatis.

V. 39—44. *pretio victos*, magnitudine munerum a ditioribus amantibus superatos. — *excludis amantes*, cf. Ov. Am. I. 6, 31. de ianitore: «Quid facies hosti, qui sic excludis amantem?» et A. A. III. 69. de puella: «quæ nunc excludis amantes». — *Eripiant partas ventus et ignis opes*, cf. Prop. II. 16, 43—46: «Sed quascumque tibi vestes, quoscumque smaragdos, Quosve dedit flavo lumine chrysolithos, Hæc videam rapidas in vanum ferre procellas, Quæ tibi terra, velim, quæ tibi fiat aqua». — *ventus et ignis*, ignis vento auctus. — *Quin tua tunc iuvenes spectent incendia læti*, ut de puella infida supra I. 6, 81—82: «Hanc animo gaudente vident iuvenumque catervæ Commemorant merito tot mala ferre senem». — *flammæ . . . addat aquam*, infundat, ut Ov. Rem. 552: «Inque suas gelidam lampadas addit aquam» et Ex Pont. I. 8, 46: «Ad sata fontanas . . . addere aquas». — *Seu veniet*, vel si veniet; cf. adn. supra ad I. 6,

21: «seu». — *Nec qui det mæstas munus in exsequias,* qui odores in flammas rogi et in urnam spargat inferiasque sepultæ ferat; cf. Prop. IV. 7, 31—32 (umbra Cynthiæ ad poetam): «Cur nardo flammæ non oluere meæ?» et II. 13, 29—30: «Osculaque in gelidis pones suprema labellis, Cum dabitur Syrio munere plenus onyx»; Catull. 101, 7—8: «prisco quæ more parentum Tradita sunt tristes munera ad inferias»; Ov. Her. 7, 192: «Iam dabis in cineres ultima dona meos» et Trist. III. 3, 81—82: «Tu tamen extincto feralia munera semper Deque tuis lacrimis umida serta dato».

V. 45—50. *veteres . . . amores,* veterem amicam, ut supra vs. 4: «amor»; cf. adn. ad h. l. — *Annua constructo serta dabit tumulo,* die natali aut mortis, quo sepulcra coronabantur; cf. Ov. Trist. III. 3, 82, ad uxorem: «Deque tuis lacrimis (defuncto mihi) umida serta dato». — *discedens dicet,* verbis sollemnibus valedicens mortuo. — *securæ,* curis iam omnibus liberatæ.

V. 51—54. *illius . . . lege,* de condicionibus a puella præscriptis, ut supra I. 6, 69: «Et mihi sint duræ leges» et Prop. IV. 8, 74. verba Cynthiæ ad poetam: «Accipe, quæ nostræ formula legis erit». — *sedes . . . avitas,* domum paternam. — *sub imperium,* sc. dominæ, puellæ amatæ, ut infra II. 3, 79: «ad imperium dominæ sulcabimus agros» et Lygd. 6, 13—14. de Amore: «ille ferocem Contudit et dominæ misit in arbitrium». — *sub titulumque,* qui ædes suas vendere volebant, tabula adfixa (i. e. titulo) indicabant hoc prætereuntibus. *Sub titulum ire* igitur significat: venditionem subire. Cf. Ov. Rem. 502: «Sub titulum nostras misit avara Lares». — *Lares,* domum.

V. 55—60. *Quidquid habet Circe, quidquid Medea veneni,* poeta ante oculos habuisse videtur Prop. II. 1, 53—54:

«Seu mihi Circæo pereundum est gramine, sive Colchis Iolciacis urat aëna focis». — *Circe,* de Circe venefica cf. Od. X. 212: Ἀμφὶ δέ μιν λύκοι ἦσαν ὀρέστεροι ἠδὲ λέοντες, Τοὺς αὐτὴ κατέθελξεν, ἐπεὶ κακὰ φάρμακ' ἔδωκεν. — *Medea . . . veneni,* cf. supra I. 2, 51: «Sola tenere malas Medeæ dicitur herbas» et adn. ad h. l. — *Quidquid et herbarum Thessala terra gerit,* Thessalia est magorum, sagarum et veneficarum patria; cf. Plin. N. H. XXX. 6—7; Prop. I. 5, 6. de amante: «Et bibere e tota toxica Thessalia» et Lucan. VI. 438—442: «Thessala quin etiam tellus herbasque nocentes Rupibus ingenuit sensuraque saxa canentes Arcanum ferale magos; ibi plurima surgunt Vim factura deis; et terris hospita Colchis Legit in Hæmoniis, quas non advexerat, herbas». — *gerit,* ut Verg. Ge. II. 122: «Aut quos Oceano propior gerit India lucos» et Ov. Met. IX. 230: «Arboribus cæsis, quas ardua gesserat Oete». — *Et quod, ubi indomitis gregibus Venus adflat amores, Hippomanes cupidæ stillat ab inguine equæ,* poeta ante oculos habuit Verg. Ge. III. 266—267: «Scilicet ante omnes furor est insignis equarum Et mentem Venus ipsa dedit» et 280—281: «Hic demum, hippomanes vero quod nomine dicunt Pastores, lentum destillat ab inguine virus». — *indomitis gregibus,* sc. equarum; cf. supra adn. ad II. 1, 68: «indomitas inter equas»; Verg. Ge. III. 269—270: «Illas ducit amor trans Gargara transque sonantem Ascanium: superant montes et flumina tranant» et Ov. A. A. II. 487—488: «In furias agitantur equæ spatioque remota Per loca dividuos amne secuntur equos». — *adflat,* inspirat; cf. Theocr. 17, 51. de Berenice: Πᾶσιν δ' ἤπιος ἅδε βροτοῖς μαλακοὺς μὲν ἔρωτας Προσπνείει et Verg. Aen. I. 688. de Amore: «Occultum inspires ignem». — *Hippomanes,* humor effluens ex inguine equæ coeundi cupidæ, quo in venenis et philtris faciendis utebantur sagæ; cf.

Verg. Ge. III. 282—283: «Hippomanes, quod sæpe malæ legere novercæ Miscuerantque herbas et non innoxia verba»; Prop. IV. 5, 17—18. de saga: «in me Hippomanes, fetæ semina legit equæ»; Ov. Am. I. 8, 8: «quid valeat virus amantis equæ» et Medic. 38: «Nec temptate nocens virus amantis equæ». — *cupidæ,* cf. adn. supra ad I. 8, 56: «cupidis». — *me placido videat Nemesis mea vultu,* cf. Hor. Carm. IV. 3, 1—2: «Quem tu, Melpomene, semel Nascentem placido lumine videris». — *Mille alias herbas misceat illa, bibam,* ut Prop. II. 24, 27. de constantia amatoris probanda: «Tætra venena libens et naufragus ebibat undas».

II.

Lib. II. eleg. 6.

Introductio. Amicus Tibulli, Macer quidam, relicto amore castra sequitur. Poeta et ipse iam de stipendiis faciendis cogitat, ut effugiat cruciatus amoris infelicis, sed frustra: vincula enim puellæ rumpere nequit (1—14). Queritur de crudelitate Cupidinis dicitque sola Spe, communi hominum consolatrice, huc usque se retentum esse, quo minus vitam leto finiret (15—28). Orat Nemesin per manes sororis immatura morte abreptæ, ut sit placidior (29—40). Puellam ipsam bonam dicit, sed invehitur in lenam malitiosam, quæ eam corruperit (41—52). In fine lenæ illi diras imprecatur (53—54).

Macer ille vs. 1. commemoratus quis fuerit, ignoramus; erat certe, ut vss. 1—6. docemur, iuvenis amori, fortasse etiam poesi amatoriæ deditus. Non est enim, ut quidam

volunt, de Aemilio Macro, poeta Vergilio æquali, auctore carminum didacticorum doctissimorum, cogitandum, qui eo tempore, quo Tibullus hanc elegiam scripsit, fuit vir quinquaginta fere annorum et a poesi amatoria semper alienissimus.

V. 1—4. *Castra . . . sequitur,* militat; cf. Ov. Am. III. 8, 27: «trepidas acies et fera castra sequi» et Lucan. X. 407: «Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur». — *tenero quid fiet Amori,* ut: «quid mihi fiet» Plaut. Most. III. 2, 89. et Ov. A. A. I. 536. — *collo fortiter arma gerat,* arma militis Romani gravia; cf. Plaut. Trin. 594—595: «actum est de collo meo: Gestandus peregre clupeus, galea, sarcina». — *vaga . . . æquora,* propter motum perpetuum fluctuum, ut infra II. 3, 39: «vago . . . ponto»; cf. Hor. Epod. 16, 41: «Nos manet Oceanus circum vagus arva beata» et Stat. Silv. III. 2, 78: «vagas ratis acta per undas». — *cum telis ad latus ire volet,* commilito et socius inseparabilis Macri.

V. 5—10. *Ure,* sc. facibus tuis, ut supra IV. 2, 5—6: «Illius ex oculis, cum vult exurere divos, Accendit geminas lampadas acer Amor». — *puer,* Amor. — *ferus,* cf. adn. supra ad I. 5, 5: «ferum». — *otia,* nam, ut Prop. III. 5, 1. dicit: «Pacis Amor deus est, pacem veneramur amantes». — *erronem,* proprie servus malus, qui frequenter abest domo; cf. Ulpiani definitionem Digest. XXI. 1, 17, 14: «proprie erronem sic definimus: qui quidem non fugit, sed frequenter sine causa vagatur et temporibus in res nugatorias consumptis serius domum redit». Hoc loco *erro* significat desertorem castrorum Amoris, ut etiam Claud. Saturn. Digest. XLVIII. 19, 16, 5. *fugitivos* nominat desertores castrorum, quamquam proprie servi, qui domo aufugerunt, appellantur fugitivi. — *sub tua signa,* nam, ut Ov. Am.

I. 9, 1. dicit: «habet sua castra Cupido»; habet igitur etiam signa in castris. Cf. Ov. Am. II. 9, 3—4. ad Amorem: «Quid me, qui miles nunquam tua signa reliqui, Lædis et in castris vulneror ipse meis» et Her. 19, 157: «In tua castra redi, socii desertor amoris». — *erit hic quoque,* pro: ero ego quoque; velut digito se ipsum monstrans; cf. Hor. Sat. I. 9, 47: «Hunc hominem (i. e. me) velles si tradere». — *Ipse levem galea qui sibi portet aquam,* poeta imitatur Prop. III. 12, 8. (ad amicum castra sequentem): «Potabis galea fessus Araxis aquam». — *Ipse . . . sibi portet,* ut miles gregarius, qui servum non habet. — *levem . . . aquam,* aquam ex fluvio leviter currentem hauriens; cf. Hor. Epod. 16, 47: «montibus altis Levis crepante lympha desilit pede»; Ov. Fast. V. 662: «leves cursum sustinuistis aquæ»; Pseudo-Verg. Cul. 147: «unda . . . levibus placidum rivis sonat». — *Et mihi sunt vires, et mihi facta tuba est,* locum imitatur Ov. Her. 16, 352: «Et mihi sunt vires, et mea tela nocent».

V. 11—14. *Magna loquor, sed magnifice mihi magna locuto,* cf. adn. supra ad I. 5, 6: «Magnificum». — *Excutiunt . . . verba,* ut Cic. pro Sull. 24: «qui si attulerint nervos et industriam, excutient tibi istam verborum iactationem» et Senec. Troad. 575: «magnifica verba mors propre admota excutit». — *fortia verba,* ut Prop. I. 5, 14. de amante contempto: «Cum tibi singultu fortia verba cadent». — *rediturum,* supple: me; eadem ellipsis supra I. 3, 27—28: «nam posse mederi (sc. te) Picta docet templis multa tabella tuis». — *bene iuravi,* valde, magnopere. — *pes tamen ipse redit,* ut Hor. Epod. 11, 20—22: «Iussus abire domum ferebar incerto pede Ad non amicos heu mihi postes et heu Limina dura» et Prop. II. 25, 19—20. de amante: «Ultro contemptus rogat et peccasse

fatetur Læsus et invitis ipse redit pedibus», quem locum Tibullus ante oculos habuisse videtur.

V. 15—18. *Acer Amor, fractas utinam tua tela sagittas, Si licet, exstinctas aspiciamque faces*, ut infra II. 5, 105—106: «Pace tua pereant arcus pereantque sagittæ, Phœbe, modo in terris erret inermis Amor». Cf. Ov. Am. III. 9, 7—8. de Amore Tibullum lugente: «Ecce puer Veneris fert eversamque pharetram Et fractos arcus et sine luce facem». — *Acer Amor*, ut supra IV. 2, 6; cf. adn. ad h. l. — *tela sagittas*, ut Ov. Met. II. 616: «Odit . . . temeraria tela, sagittas» et ibid. XIII. 401: «referat Tirynthia tela, sagittas». — *nefanda*, verba impia in deos, ut supra I. 3, 52. et IV. 4, 14.

V. 19—24. *Spes*, dea (cf. infra vs. 28), ut supra I. 1, 9. — *fore cras semper ait melius*, ut Theocr. IV. 41—42: τάχ' αὔριον ἔσσετ' ἄμεινον. Ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες. — *sulcis credit aratis Semina, quæ magno fenore reddat ager*, nam agricolæ, ut Cic. De senect. 51. dicit: «habent . . . rationem cum terra, quæ nunquam recusat commercium nec unquam sine usura reddit, quod accepit, sed alias minore, plerumque maiore cum fenore». Locum expressit Ov. Rem. 173—174: «Obrue versata Cerialia semina terra, Quæ tibi cum magno fenore reddat ager» et Ex Pont. I. 5, 26: «Et sata cum multo fenore reddit ager». — *credit . . . Semina*, est enim agricola tamquam creditor agri; cf. Ov. A. A. I. 401: «Nec semper credenda Ceres fallacibus arvis». — *magno fenore reddat*, est enim ager debitor agricolæ, ut infra II. 3, 61—62: «At tibi . . . Persolvat nulla semina terra fide». — *Hæc laqueo volucres, hæc captat arundine pisces*, locum expressit Ov. Her. 18, 13: «Nunc volucrem laqueo, nunc piscem ducitis hamo», A. A. II. 77. et Met. VIII. 217: «tremula dum captat arun-

dine pisces». — *laqueo volucres . . . captat,* ut Hor. Epod. 2, 35—36: «laqueo gruem Iucunda captat præmia». — *Cum tenues hamos abdidit ante cibus,* ut Ov. Rem. 210—211: «Vel quæ piscis edax avido male devoret ore, Abdere supremis æra recurva cibis» et Met. VIII. 855—856: «qui pendentia parvo Aera cibo celas, moderator arundinis» et ibid. XV. 476: «Nec celate cibis uncos fallacibus hamos».

V. 25—28. *Spes etiam valida solatur compede vinctum: Crura sonant ferro, sed canit inter opus,* agitur de servis ex familia rustica, qui opus faciebant compedibus vincti; cf. adn. supra ad I. 7, 42: «Crura licet dura compede pulsa sonent». Locum expressit Ov. Trist. IV. 1, 5—6: «Hoc est, cur cantet vinctus quoque compede fossor, Indocili numero cum grave mollit opus» et Ex Pont. I. 6, 31. de spe: «Hæc facit, ut vivat fossor quoque compede vinctus». — *facilem . . . mihi,* preces meas exaudientem; contrarium dicit supra I. 8, 27: «Nec tu difficilis puero tamen esse memento». — *negat illa,* cf. adn. supra ad I. 4, 15: «negabit».

V. 29—34. *immatura . . . ossa,* ante diem sepulta, ut Prop. IV. 11, 17. Cornelia mortua de se: «Immatura quidem, tamen huc non noxia veni». — *sub tenera . . . humo,* molli, ut supra I. 7, 30: «Et teneram ferro sollicitavit humum»; vide adn. ad h. l. Cf. supra II. 4, 50: «Terraque securæ sit super ossa levis»; Ov. Trist. III. 3, 76: «Nasonis molliter ossa cubent» et Am. III. 9, 68: «Et sit humus cineri non onerosa tuo». — *illius dona sepulcro Et madefacta meis serta feram lacrimis,* locum expressit Ov. Trist. III. 3, 81—82: «Tu tamen exstincto feralia munera semper Deque tuis lacrimis umida serta dato»; cf. etiam Prop. III. 16, 23—24: «Afferet hæc unguenta mihi sertisque sepulcrum Ornabit custos ad mea busta sedens». — *dona,* unguenta (cf. Prop. locum supra laud.) et inferias ex lacte,

vino et melle constantes; cf. Catull. 101, 7—8: «prisco quē more parentum Tradita sunt tristes munera ad inferias». — *Illius ad tumulum fugiam supplexque sedebo,* ut servi a dominis male habiti ad aras deorum confugere ibique more supplicum sedere solent; cf. infra IV. 13, 23: «Sed Veneris sanctæ considam vinctus ad aras». — *Et mea cum muto fata querar cinere,* cf. Catull. 101, 4: «Et mutam nequiquam alloquerer cinerem». — *cum muto . . . cinere,* coram mortua.

V. 35—40. *clientem,* qui tutelæ eius se mandavit. — *Illius ut verbis,* tamquam illius nomine; cf. Liv. IX. 36: «quinque legati . . . venerunt denuntiatum Fabio senatus verbis, ne saltum Ciminium transiret». — *sis mihi lenta, veto,* sine coniunctione, ut Hor. Carm. III. 2, 26—28: «vetabo, qui Cereris sacrum Volgarit arcanæ, sub isdem sit trabibus». Conferri potest supra I. 2, 25a: «Nec sinit occurrat quisquam». — *mihi lenta,* precibus meis non commota, ut Prop. II. 14, 14: «Nec mihi ploranti lenta sedere potest». — *neglecti . . . Manes,* anima sororis, cuius voluntatem neglexisti. — *mittant mala somnia Manes,* ut Verg. Aen. VI. 896: «falsa ad cælum mittunt insomnia Manes». — *stet soror ante torum,* ut Ov. Fast. III. 639—640: «Nox erat: ante torum visa est adstare sororis Squalenti Dido sanguinolenta coma». — *Qualis ab excelsa* etc., mortui sæpe eo habitu apparent, quo vita excesserunt, ut Verg. Aen. I. 353. Sychæus Didoni, ibid. II. 170. Hector Aeneæ. — *infernos . . . lacus,* ut Prop. II. 28, 42; cf. adn. supra ad I. 10, 38: «ad obscuros lacus».

V. 41—44. *Desino,* ultima syllaba correpta, ut Ov. Her. 18, 203: «Desino, parce queri». — *Non ego sum tanti, ploret ut illa semel,* ut Ov. Her. 7, 45: «Non ego sum tanti» et Trist. II. 209: «Nam non sum tanti, ut renovem

tua volnera, Cæsar». — *Nec lacrimis oculos digna est foedare loquaces,* cf. Prop. I. 18, 15—16: «tua flendo Lumina deiectis turpia sint lacrimis» et Ov. A. A. I. 129: «teneros lacrimis corrumpis ocellos». Non est digna fœdare, i. e. non meret hoc, nam, ut vs. sq. docet, bona est puella ipsa, sed lena poetæ nocet. — *digna est foedare,* cum infinitivo, ut supra IV. 6, 10: «servire dignior». — *loquaces,* de oculis, ut Meleagr. Anth. Pal. XII. 159, 3—4: Ναὶ γὰρ δὴ τὰ σά, κοῦρε, τὰ καὶ κωφοῖσι λαλεῦντα Ὄμματα. — *Lena nocet nobis,* ut supra I. 5, 47—48: «Hæc nocuere mihi, quod . . . Venit . . . lena».

V. 45—50. *Lena necat miserum,* vexat, ut pæne moriar; cf. Hor. Epod. 14, 5: «Candide Mæcenas, occidis sæpe rogando». — *Phryne,* nomen meretricis apud Prop. II. 6, 6. et Hor. Epod. 14, 16: «me libertina neque uno Contenta Phryne macerat», quem locum Tibullus fortasse ante oculos habuit; hoc loco nomen lenæ, fortasse ideo electum, quia ex meretricibus senectute confectis plerumque lenæ fiunt. — *tabellas Occulto portans itque reditque sinu,* cf. Ov. A. A. III. 621—622: «Conscia cum possit scriptas portare tabellas, Quæ tegat in tepido fascia lata sinu». Agitur de tabulis ceratis, quibus in epistulis scribendis libentissime utebantur antiqui; potuit enim is, qui litteras accepit, deleto in cera scripto statim rescribere et tabellas remittere. Tales tabellæ ultro citroque mittebantur ab amantibus; cf. supra Sulp. IV. 7, 7; Prop. III. 23. et Ov. Am. I. 12. — *itque reditque,* ut Verg. Aen. VI. 122: «Itque reditque viam totiens». Ad rem ipsam cf. Ov. Am. II. 19, 41—42: «Quas ferat et referat sollers ancilla tabellas», ibid. III. 14, 31: «Cur totiens video mitti recipique tabellas» et A. A. I. 383: «(ancilla) dum dat recipitque tabellas». — *sinu,* sc. vestis. — *limine duro,* crudeli, quia

amans non intromittitur, ut I. 8, 75: «Quæcumque opposita est ianua dura sera»; cf. adn. ad h. l. — *languere*, non bene valere. — *minas*, sc. amatoris cuiusdam, qui puellam minis terret, ne alios viros recipiat.

V. 51—54. *Morior*, parum abest, ut moriar; cf. supra vs. 45: «Lena necat miserum». — *mens . . . perdita*, insana. — *meam*, sc. amicam; cf. adn. ad I. 4, 75: «suæ». — *teneat*, amplectatur, ut supra I. 5, 39: «Sæpe aliam tenui»; cf. adn. ad h. l. — *quot teneatve modis*, de variis concubitus figuris cogitandum, ut supra I. 9, 64: «Aut operum varias disposuisse vices»; cf. adn. ad h. l. Locum imitatur Ov. Am. II. 8, 27—28: «Quoque loco tecum fuerim quotiensque, Cypassi, Narrabo dominæ, quotque quibusque modis» et Ex Pont. IV. 7, 46: «Quosque neci dederis quotque quibusque modis». Ad rem ipsam cf. Ov. Am. III. 7, 64: «Quos ego non finxi disposuique modos» et ibid. 14, 24: «Inque modos Venerem mille figuret Amor»; A. A. III. 787: «Mille modi Veneris» et ibid. II. 679—680: «Utque velis, Venerem iungunt per mille figuras, Inveniet plures nulla tabella modos». — *satis anxia vives, Moverit*, ut I. 6, 53: «Attigerit, labentur opes». *Si* omissum, ut l. l. Ceterum *vives* est coniectura Huschkii; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *e votis*, diræ vota appellantur, ut in auct. inc. Diris (vs. 3.): «Rura, quibus diras indiximus, impia vota».

III.

Lib. II. eleg. 3.

Introductio. Nemesis in rus abiit, verisimiliter cum amatore divite vss. 59—60. commemorato. Poeta non sustinet in urbe manere, sed servire vult apud dominam in

prædio (1—10). Exemplum talis amoris affert Apollinem Admeti greges pascentem (11—32). Aetati mythicæ omnia pro amore tolerare paratæ opponit sæculum ferreum per cædem et facinus prædas quærens (33—46). Poeta et ipse avaritiæ servire cogitur, cum puellas luxuria gaudere amatoribusque vilissimis propter divitias se dedere videat (47—60). Diris deinde devovet agros cultos, qui amœnitate sua puellam ab urbe abduxerunt (61—66). Pereat potius tota agricultura et vitæ elegantioris ratio, modo redeat prisca simplicitas, ubi homines glandibus et aqua contenti in vallibus umbrosis libere fruebantur gaudiis Veneris neque custodes aut ianuæ clausæ erant (67—78). In fine redit primaria sententia: poeta in rus abire vult, ut in agro dominæ inter servos opus rusticum faciat (79—80).

V. 1—4. *Rura meam* etc., ad vss. 1—8. cf. Philostrati epistolographi, poeseos Alexandrinæ peritissimi, Ep. 59. H: τί οὖν μέλλω ποιεῖν, ἐὰν ἐξελάσῃς ἐς ἀγρόν, ὡς πέρυσι, καὶ πολλῶν ἡμερῶν τὰς ἐν ἄστει διατριβὰς καταλίπῃς; ἡγοῦμαι ἀναγκαῖον σαφῶς ἀπολωλέναι μηδὲν ἔχοντα ἡδὺ μήτε ἀκούειν μήτε ὁρᾶν. Ἐγὼ μὲν γὰρ ἕψεσθαί σοι νομίζω τὴν πόλιν ἐξιούσῃ καὶ αὐτοὺς ἐν ἄστει θεοὺς ἑλκομένους ὑπὸ τῆς θεᾶς. Εἰ δὲ κἀκεῖνοι κατὰ χώραν μένουσιν, ἀλλ' ἔγωγε οὐκ ἀπολειφθήσομαι τοῦ Ἔρωτος ἐφόλκιον, εἰ δὲ καὶ σκάπτειν δέοι, λήψομαι τὴν δίκελλαν, εἴτε κλᾶν, θεραπεύσω τὰς ἀμπέλους, εἴτε ἐπάγειν λαχάνοις ὕδωρ, ὁδοποιήσω τὸν δρόμον. Unde verisimile fit Philostratum et Tibullum ex communi fonte, ex scriptis poetarum Alexandrinorum hausisse. — *tenent,* i. e. ibi habitat puella, ut Hor. Carm. I. 7, 19—21: «seu te fulgentia signis Castra tenent seu densa tenebit Tiburis umbra tui». — *villæ,* non villæ magnificæ, luxuriæ inservientes, sed villæ proprio sensu, i. e. domus extra urbem in agro,

agri colendi et fructuum colligendorum causa constitutæ; Nemesis enim, ut vss. 61—68. docemur, agri colendi studio urbe abducta est. Cf. Cic. Rosc. Com. 12: «Qui ager neque villam habuit neque ex ulla parte fuit cultus . . . Tum erat ager incultus sine tecto, nunc cultissimus cum optima villa». — *Ferreus*, ut supra I. 10, 2. et 2, 65: «Ferreus ille fuit». — *Ipsa Venus . . . Amor*, dii amoris sequuntur pulchram puellam rusticantem. — *latos . . . in agros*, opponuntur angustiis urbis; cf. Verg. Ge. II. 468: «latis otia fundis» et incert. auct. Aetn. 384: «Flamma micat latosque ruens exundat in agros». — *Verbaque aratoris rustica discit Amor*, in gemmis antiquis sæpe conspicitur Amor arans; cf. etiam Moschi epigr. Anth. Plan. 200: εἰς Ἔρωτα ἀροτριῶντα.

V. 5—10. *fortiter*, cf. adn. supra ad II. 2, 14: «fortis». — *versarem . . . bidente solum*, cogitandum de vineis, quæ sæpius vertebantur bidente; cf. Verg. Ge. II. 264. de vineis: «Et labefacta movens robustus iugera fossor». — *pingue solum*, vineis aptum; cf. Verg. Ge. II. 184. et 190—191: «At quæ pinguis humus dulcique uligine læta . . . Hic tibi prævalidas olim multoque fluentes Sufficiet Baccho vites». — *bidente . . . aratrum*, cf. supra adn. ad I. 10, 49: «bidens vomerque». — *curvum . . . aratrum*, propter formam buris; cf. Verg. Ge. I. 169—170: «Continuo in silvis magna vi flexa domatur In burim et curvi formam accipit ulmus aratri» et ibid. 494: «Agricola incurvo terram molitur aratro» et II. 513: »Agricola incurvo terram dimovit aratro». — *subigunt . . . arva*, ut Verg. Ge. I. 125: «Ante Iovem nulli subigebant arva coloni». — *steriles . . . boves*, castrati; cf. Catull. 63, 69. de Attide exsecto: «ego vir sterilis ero». — *arva serenda*, seminibus inserenda, ut infra vs. 70: «sulcos satos» i. e. frumento insitos; cf. Cic.

De univ. 12: «Cum autem animis corpora cum necessitate insevisset» et Pers. Sat. V. 63—64: «inseris aures Fruge Cleanthea». — *graciles . . . artus,* graciles sunt poetæ erotici propter amorem; cf. Prop. II. 22, 21: «exiles videor tenuatus in artus» et Ov. Am. II. 10, 23. de se: «graciles, non sunt sine viribus artus». — *Læderet et teneras pussula rupta manus,* ut supra I. 4, 48: «Aut opera insuetas atteruisse manus». — *pussula,* alibi: pustula.

V. 11—14. *Pavit et Admeti tauros formosus Apollo,* Apollinem Admeti amore captum hoc servitium subiisse narrabant poetæ Alexandrini; cf. Callim. hymn. Apoll. 46—48: Φοῖβον καὶ Νόμιον κικλήσκομεν ἐξέτι κείνου, Εξότ' ἐπ' Ἀμφρυσσῷ ζευγίτιδας ἔτρεφεν ἵππους, Ἠιθέου ὑπ' ἔρωτι κεκαυμένη Ἀδμήτοιο. Tibullum ante oculos habuit Lygd. 4, 65—68: «Sævus Amor docuit validos temptare labores, Sævus Amor docuit verbera posse pati. Me quondam Admeti niveas pavisse iuvencas Non est in vanum fabula ficta iocum». — *Admeti,* erat rex Pherarum in Thessalia; cf. Ov. A. A. II. 239—240: «Cynthius Admeti vaccas pavisse Pheræi Fertur». — *formosus Apollo,* erat enim deorum pulcherrimus; cf. Verg. Aen. III. 119: «pulcher Apollo». — *intonsæ . . . comæ,* cf. adn. ad I. 4, 38: «Nam decet intonsus crinis utrumque deum». — *profueruntve,* coniunctio *ve* ad *intonsæ* pertinet; cf. de hac collocatione coniunctionis adn. supra ad I. 10, 51: «Rusticus e lucoque vehit». — *Nec potuit curas sanare salubribus herbis: Quidquid erat medicæ vicerat artis amor,* locum ante oculos habuit Ov. Met. I. 523—524. (verba Apollinis): «Ei mihi, quod nullis amor est sanabilis herbis, Nec prosunt domino, quæ prosunt omnibus, artes», et Her. 5, 149—152. (verba Oenones): «Me miseram, quod amor non est medicabilis herbis! Deficior prudens artis ab arte mea. Ipse repertor opis vaccas

pavisse Pheræas Fertur». De Apolline medico cf. supra IV. 4, 1—4.

V. 14a—16. *Ipse deus solitus stabulis expellere vaccas,* post hunc versum excidit talis fere pentameter: «Dicitur et pastas ipse referre domum»; certe hoc loco stetit verbum regens: dicitur sive fertur. — *stabulis expellere,* ad pastum, ut Pseudo-Verg. Cul. 44: «Propulit ut stabulis ad pabula læta capellas». — *miscere novo docuisse coagula lacte,* artem caseos faciendi invenit. — *novo . . . lacte,* quia, ut Colum. VII. 8, 3. dicit: «(caseus) lacte fieri debet sincero et quam recentissimo, nam requietum vel mixtum celeriter acorem concipit». — *docuisse,* sc. homines; cf. supra II. 7. 33. d Osiride: «Hic docuit teneram palis adiungere vitem» et II. 1, 39—40. de diis rusticis: «Illi compositis primum docuere tigillis Exiguam viridi fronde operire domum». — *coagula,* lac cogebatur, ut Colum. VII. 8, 3. dicit, plerumque agni aut hædi coagulo, i. e. ad lac densandum adhibebatur ventriculus lactentis hædi aut agni. — *Lacteus et mulctris obriguisse liquor,* lac in mulctris cogebatur; cf. Colum. VII. 8, 3: «sed mulctra, cum est repleta lacte. non sine tepore aliquo debet esse . . . et confestim, cum concrevit liquor, in fiscellas . . . transferendus est» et ibid. VIII. 17, 3: «mulctra recens caseus» i. e. modo e mulctra in fiscellam translatus. Ceterum *mulctris* est coniectura Rigleri; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *Tunc fiscella levi detexta est vimine iunci,* cf. Verg. Ecl. 2, 71—72: «Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus, Viminibus mollique paras detexere iunco» et ibid. 10, 71: «gracili fiscellam texit hibisco». — *fiscella,* calathus, ubi recens caseus ponebatur, ut serum ex eo efflueret; cf. Colum. VII. 8, 3: «confestim, cum concrevit liquor, in fiscellas aut in calathos transferendus est. Nam maxime

refert primo quoque tempore serum percolari et a concreta materia separari»; Calpurn. Ecl. 9, 33: «Ipse ego nec iunco molli nec vimine lento Perfeci calathos cogendi lactis in usus». — *Raraque per nexus est via facta sero,* versum imitatur Ov. Fast. IV. 770: «Dentque viam liquido vimina rara sero». — *per nexus,* sc. viminum, per cratem.

V. 17—20. *O quotiens . . . dicitur occurrens erubuisse soror,* Diana venatrix per agros discurrens; locum ante oculos habuit Val. Flacc. I. 447—448. de eadem fabula: «A quoties famulo notis soror obvia silvis Flevit». — *vitulum gestante,* vitulum modo natum aut infirmum umeris; cf. supra adn. ad I. 1, 31: «Non agnamve sinu pigeat». — *ausæ,* supple: sunt. — *valle sub,* in ima parte, in profundo vallis; cf. Verg. Aen. IX. 244: «Vidimus obscuris primam sub vallibus urbem». — *alta,* cf. adn. supra ad I. 4, 49: «altas valles». — *carmina docta,* summa arte perfecta; cf. supra adn. ad I. 4, 60: «doctos poetas».

V. 21—28. *Sæpe duces trepidis petiere oracula rebus,* poeta ante oculos habuisse videtur Verg. Ge. IV. 448: «Venimus hinc lapsis quæsitum oracula rebus». — *trepidis . . . rebus,* in tr. r., in periculo publico; cf. Hor. Carm. III. 2, 5—6: «Vitamque sub divo et trepidis agat In rebus»; Verg. Aen. VI. 196: «tuque o dubiis ne defice rebus» et ibid. VII. 85—86: «Hinc Italæ gentes omnisque Oenotria tellus In dubiis responsa petunt». — *irrita,* adiectivum pro adverbio: frustra, re infecta. — *doluit Latona,* propter amorem maternum. — *noverca,* Iuno. — *crinesque solutos,* nam Apollo alias crines in nodum eleganter colligere solebat, ut etiam in Apolline citharœdo Vaticano videmus. — *quæreret,* desideraret, requireret; cf. Ov. Fast. VI. 667: «Quæritur in scena cava tibia, quæritur aris». — *Delos,* ubi Apollo natus est templumque habuit celeberrimum. —

Delphica Pytho, hoc loco Pytho templum et oraculum Delphicum significat, ut Aeschyl. Prom. 650. et Eurip. Andr. 52.; cf. Ov. Met. X. 167—170. de Apolline Hyacinthum amante: «et orbe In medio positi caruerunt præside Delphi, Dum deus Eurotan immunitamque frequentat Sparten». — *Nempe amor in parva te iubet esse casa,* locum expressit Ov. A. A. II. 239—240: «Cynthius Admeti vaccas pavisse Pheræi Fertur et in parva delituisse casa». — *casa,* pastoricia.

V. 29—34. *Felices olim,* sc. mortales; accusativus exclamationis, ut Ov. Her. 19, 111—112: «Felices illas, sua quas præsentia nosse Crimina vera iubet, falsa timere vetat». — *æternos . . . deos,* immortales, ut supra IV. 4, 14. — *Fabula nunc ille est,* sc. Apollo: est in ore hominum et deridetur; cf. adn. supra ad I. 4, 83: «turpis fabula fiam». — *cui sua cura puella est,* i. e. cui sua puella cura est, qui suam puellam vere amat; cf. supra Sulp. IV. 12, 1: «Ne tibi sim, mea lux, æque iam fervida cura»; Ov. Met. VIII. 727: «Cura pii dis sunt» et Her. 16, 96: «Sed Nymphis etiam curaque amorque fui». — *cui tristi fronte Cupido Imperat,* cui Amor non est propitius, cui puella dura est. — *tristi,* severa. — *Imperat,* ut imperator militi; cf. Ov. Am. II. 12, 27—28: «Cupido Iussit militiæ signa movere meæ» et Rem. 3—4: «Parce tuum vatem sceleris damnare, Cupido, Tradita qui toties te duce signa tuli». — *in nostra sint tua castra domo,* militiam amatoriam apud me disce, me magistro disce Veneri servire (cf. vss. 29—30.), ut favorem puellæ assiduis laboribus tibi conciliare possis; in castris enim exercebantur tirones. De castris Amoris cf. supra II. 6, 9. ad Amorem: «Atque iterum erronem in tua castra voca»; Ov. Am. I. 9, 1: «Militat omnis amans et habet sua castra Cupido» et ibid. III. 15, 15—16: «Culte

puer puerique parens Amathusia culti, Aurea de campo vellite signa meo» et Ex Pont. III. 3, 82. Cupido ad poetam: «o castris miles amice meis». — *domo,* post vs. 34. exciderunt aliquot versus, quibus poeta transitum paravit ad sequentia in hunc fere modum: disce a me Veneri servire neque pravis sæculi moribus te corrumpi sinas: nam ferrea sæcula non Venerem, sed prædam laudant etc.

V. 35—40. *Præda,* vs. 36. et vss. 37. et 39. cupidinem prædæ significat. — *multis est operata malis,* multa mala committit, causa est multorum malorum; cf. incert. auct. Aetn. 383—384: «magnis operata rapinis Flamma micat latosque ruens exundat in agros». — *cinxit . . . armis,* ut Verg. Aen. XI. 536: «cingitur armis». — *Hinc cruor, hinc cædes mors propiorque venit,* cf. adn. supra ad I. 10, 3—4: «Tum cædes hominum generi, tum prœlia nata, Tum brevior diræ mortis aperta via est»; versum imitatur Ov. Fast. VI. 599: «Hinc cruor, hinc cædes» et Trist. I. 10, 32: «Quam cruor et cædes bellaque semper habent»; Petron. c. 123: «Arma, cruor, cædes, incendia totaque bella». — *vago . . . ponto,* cf. adn. supra ad II. 6, 3: «vaga æquora». — *geminare pericula,* pericula navigationis cumulare periculis belli navalis; cf. Ov. Ex Pont. I. 2, 15—16: «Qui, mortis sævo geminent ut vulnere causas, Omnia vipero spicula felle linunt». — *Bellica . . . rostra,* ferrata. — *dubiis . . . ratibus,* cf. adn. supra ad I. 9, 10: «instabiles rates» et Ov. A. A. II. 514: «Non semper dubias adiuvat aura rates».

V. 41—46. *prædator,* qui bellica præda ditatus latifundia coemit. — *obsidere,* occupare, ut Verg. Aen. VII. 334: «Italos obsidere fines». — *multa innumera iugera pascat ove,* depascat; cf. Verg. Aen. XI. 319—320: «vomere duros Exercent colles atque horum asperrima pascunt» et Ulp.

Digest. 10, 4, 9: «Glandem ego immisso pecore depasco». — *lapis externus*, marmor peregrinum, ut Lygd. 3. 13—14: «Quidve domus prodest Phrygiis innixa columnis, Tænare, sive tuis, sive, Caryste, tuis». — *urbisque tumultus*, terror urbis, iunge cum *columna*; marmorea columna, cum per vicos intremiscentes portatur, terrorem inicit urbi, ne domus in altum exstructæ, sed male ædificatæ corruant; cf. Plin. Panegyr. 51: «Itaque non ut ante immanium transvectione saxorum urbis tecta quatiuntur, stant securæ domus» et Senec. Controv. 9: «Tanta altitudo ædificiorum est, ut neque adversus ignem præsidium neque ex ruinis ullum in ullam partem effugium sit». — *mille columna iugis*, portantur columnæ marmoreæ mille iugis, i. e. multis iumentis; hoc loco *columna* ponitur pro plurali, ut Senec. Ep. 90, 9: «Nec in hunc usum pinus aut abies deferebatur longo vehiculorum ordine»; cf. etiam adn. ad I. 3, 87: «puella». — *mille . . . iugis,* iugum hoc loco significat par boum unum iugum ferre solitum, ut supra II. 1, 7: «Solvite vincla iugis»; cf. adn. ad h. l. et Prop. III. 5, 5: «Nec mihi mille iugis Campania pinguis aratur». Ergo *validis iugis,* ut supra II. 2, 14: «valido bove». — *Claudit et indomitum moles mare,* agitur de piscinis marinis, quæ cæmentis in altum iactis claudebantur defendebanturque a rabie maris aperti, ut quovis tempore pretiosissimorum piscium copia hominibus luxuriosis suppeteret; cf. Varr. De re rust. III. 17, 2: «cum piscinarum genera sint duo, dulcium et salsarum, alterum apud plebem et non sine fructu . . . illæ autem maritimæ piscinæ nobilium, quibus Neptunus et aquam et pisces ministrat, magis ad oculos pertinet, quam ad vesicam, et potius marsippium domini exinaniunt, quam implent. Primum enim ædificantur magno, secundo implentur magno, tertio aluntur magno». — *mo-*

les, agger in aqua, ut Hor. Carm. III. 1, 33—34: «Contracta pisces æquora sentiunt Iactis in altum molibus». — *lentus,* securus, animo quieto. — *intra,* in piscina molibus clausa. — *Neglegat,* non curet; regit accusativum cum infinitivo, ut Cic. Phil. 13, 33: «Theopompum . . . confugere Alexandriam neglexistis». — *minas,* tempestates; cf. Verg. Aen. VI. 113: «pelagique minæ cælique» et Hor. I. 12, 31: «minax unda».

V. 47—52. *At mihi* etc., similiter opponit se avaris Prop. III. 5, 3—4: «Nec tamen inviso pectus mihi carpitur auro, Nec bibit e gemma divite nostra sitis», quem locum Tibullus ante oculos habuisse videtur. — *læta trahant Samiæ convivia testæ,* i. e. traham convivia testis; cf. adn. supra ad II. 1. 30: «Vina diem celebrent» et Hor. Carm. III. 21, 21—24. de convivio: «Te Liber et si læta aderit Venus Segnesque nodum solvere Gratiæ Vivæque producent lucernæ, Dum rediens fugat astra Phœbus». — *trahant . . . convivia,* ducant; cf. adn. supra ad I. 4, 5: «producis» et I. 9. 61: «convivia ducere» et Verg. Aen. I. 748: «vario noctem sermone trahebat». — *Samiæ . . . testæ,* vasa fictilia, quibus uti in conviviis simplicitatis est aut paupertatis; cf. Lucil. l. XIII. vs. 5. (ed. Mueller): «Et non pauper uti Samio curtoque catino» et Rhet. ad Herenn. IV. 51: «Aedes commodavi, familiam dedi, argentum quoque vult? Tametsi hospites habeo, tamen utatur licet, nos Samiis delectabimur». De Samiis vasis Plin. N. H. XXXV. 160: «Maior pars hominum terrenis utitur vasis. Samia etiamnunc in esculentis laudantur». — *Fictaque Cumana lubrica terra rota,* de vasis Campanis fictilibus cf. Plin. N. H. XXXV. 164: «Nobilitantur his quoque oppida, ut Rhegium et Cumæ» et Hor. Sat. I. 6, 118: «cum patera guttus Campana supellex» et Stat. Silv. IV. 9, 43: «Cumano patinas in orbe

tortas». — *lubrica terra,* argilla uda. — *rota,* i. e. ut Senec. Ep. 90, 31. dicit: «rota figuli, cuius circuitu vasa formantur». — *luxuria Nemesis fluat,* diffluat et quasi liquescat; cf. Cic. Tusc. II. 22, 8: «Cum voluptate liquescimus fluimusque luxuria» et Ter. Heaut. V. 1, 72—73: «ut eius animum, qui nunc luxuria et lascivia Diffluit, retundam». — *incedat,* cum superbia quadam, ut Verg. Aen. I. 46—47. Iuno de se: «ego, quæ divom incedo regina Iovisque Et soror et coniunx». — *conspicienda,* cf. adn. supra ad I. 2, 70: «conspiciendus».

V. 53—58. *vestes tenues, quas femina Coa Texuit,* de vestibus Cois cf. adn. supra ad II. 4, 29: «Coa vestis». — *auratas disposuitque vias,* cogitandum de virgis (Hungarice *csík,* Germ. *Streifen)* auratis intextis, quæ quasi semitæ quædam aut striæ telas distinguunt, unde apud Sil. It. Pun. IV. 155: «Auro virgatæ vestes». *Via* igitur hoc loco virgam in veste significat; cf. Verg. Aen. VIII. 660: «virgatis lucent sagulis» et Serv. adn. ad h. l.: «quæ habebant in virgarum modum deductas vias»; similis est οἶμος apud Hom. Il. XI. 24: Τοῦ δ' ἤτοι δέκα οἶμοι ἔσαν μέλανος κυάνοιο. — *comites fusci,* servos ex Aethiopia habebant feminæ luxuriosæ; cf. Terent. Eunuch. I. 2, 85: «Nonne ubi dixti cupere te ex Aethiopia ancillulam, relictis rebus omnibus quæsivi?» — *India,* Aethiopia, nam etiam Aethiopes Indi dicebantur latiore sensu, ut Verg. Ge. IV. 292. de Nilo: «Usque coloratis amnis devexus ab Indis» i. e. ab Aethiopibus, et Prop. IV. 3, 10: «Ustus et eoa discolor Indus aqua», ubi agitur de Aethiopibus, quibuscum præfectus Aegypti C. Petronius circa a. 25. a. Chr. n. bellum gerebat. — *Solis et admotis inficit ignis equis,* colorem nigrum Aethiopum et Indorum vicinitati solis tribuebant antiqui; cf. Prop. III. 13, 16. de Indis: «Quos Aurora suis rubra colorat equis», quem locum

Tibullus ante oculos habuisse videtur. — *admotis,* propinquis; cf. Hor. Carm. I. 22, 21: «Pone sub curru nimium propinqui Solis». — *inficit,* colorat; cf. adn. supra ad I. 2, 20: «senectus Inducat rugas inficiatque comas». — *equis,* quadrigam Soli tribuebant veteres. — *certent præbere,* certando præbeant. — *colores,* de vestibus coloratis; poeta imitatur Prop. III. 13, 7: «Et Tyros ostrinos præbet Cadmea colores»; cf. Hor. Ep. I. 6, 18: «cum gemmis Tyrios mirere colores» et Senec. Quæst. Nat. VII. 31: «colores meretricii matronis non induendi». — *Africa puniceum,* agitur de purpura Africana; cf. Plin. N. H. IX. 127. de murice: «Tyri præcipuus hic Asiæ, Meninge Africæ et Gætulo litore oceani». unde apud Hor. Ep. II. 2, 18: «vestes Gætulo murice tinctas», ubi Porphyrio adnotat: «Mauro, significat enim purpuram Girbitanam». Africanæ purpuræ color erat puniceus, i. e. rubens, sed dilutus, unde Verg. Ecl. 5, 17: «puniceis rosetis» et Aen. XII. 77: «Puniceis invecta rotis Aurora rubebit» et Hor. Carm. IV. 10, 4: «color est puniceæ flore prior rosæ». — *puniceum,* sensu proprio: Carthaginiensem, quia purpuram Africanam a Carthaginiensibus acceperunt Romani. — *purpureumque Tyros,* color purpuræ Tyriæ appellatur κατ' ἐξοχήν purpureus, i. e. ruber, sed nigricans; cf. Plin. N. H. IX. 135. de purpura Tyria: «Laus ei summa in colore sanguinis concreti, nigricans aspectu idemque suspectu refulgens». — *Tyros,* post vs. 58. exciderunt aliquot versus, quibus poeta transitum paravit ad sequentia.

V. 59—60. *Nota loquor,* eadem verba initio hexametri apud Ov. Met. II. 570. — *regnum iste tenet,* puellam possidet, ut supra I. 9, 79—80: «me vinctum puer alter habebit Et geret in regno regna superba tuo» et IV. 5, 3—4: «Te nascente novum Parcæ cecinere puellis Servitium et dederunt regna superba tibi»; cf. Prop. II. 16, 27—28. de

rivali suo: «Barbarus excussis agitat vestigia lumbis Et subito felix nunc mea regna tenet», quem locum Tibullus ante oculos habuisse videtur. — *Quem sæpe coegit Barbara gypsatos ferre castata pedes*, erat igitur amator Nemesis olim servus barbarus, qui postea manumissus et dives factus est. — *sæpe coegit*, erat enim servus nequam, qui sæpius vendebatur a dominis. — *Barbara . . . catasta*, pegma altum; cf. Schol. ad Pers. Sat. VI. 77: «Apud antiquos venales in catasta ponebantur, ut omnia in eis possent membra conspici». Hoc loco *barbara* vocatur, quia servi barbari in ea exhibebantur; cf. Stat. Silv. II. 1, 72: «Non te barbaricæ versabat turbo catastæ». — *gypsatos . . . pedes*, gypso aut creta notabantur pedes servorum venalium trans mare advectorum; cf. Plin. N. H. 35, 199: «creta . . . qua circum præducere ad victoriæ notam pedesque venalium trans mare advectorum denotare instituerunt maiores . . . talem in catasta videre Chrysogonum Sullæ». Tibulli locum ante oculos habuit Prop. IV. 5, 51—52 (verba lenæ ad puellam, cui libertos divites commendat): «quorum titulus per barbara colla pependit, Cretati medio cum saluere foro»; Tibullum et Propertium simul imitatur Ov. Am. I. 8, 63—64. (lena ad puellam): «Nec tu, si quis erit capitis mercede redemptus, Despice: gypsati crimem inane pedis».

V. 61—66. *At tibi* etc., poeta vss. 61—64. diris devovet sata et vinea, quæ amœnitate sua Nemesim agri colendi studiosam ab urbe abduxerunt; cf. incert. auct. Diras (vss. 10—12.): «Nec fecunda, suis olim felicia rura, Semina parturiant segetes, non pascua colles, Non arbusta novas fruges, non pampinus uvas». — *dura seges*, crudelis. — *Persolvat nulla semina terra fide*, quia ager est quasi debitor, qui semina sibi commissa cum fenore reddere debet; cf. adn. supra ad II. 6, 21—22: «sulcis credit aratis

Semina, quæ magno fenore reddat ager». — *nulla . . . fide,* cf. Hor. Carm. III. 16, 30: «segetis certa fides meæ» et Ov. Met. V. 479—480: «arvaque iussit Fallere depositum». — *Bacche tener,* quia iuvenis est; cf. adn. supra ad I. 4, 37: «Solis æterna est Baccho Phœboque iuventas». — *iucundæ consitor uvæ,* locum imitatur Ov. Met. IV. 14. de Baccho: «genialis consitor uvæ». — *devotos,* sc. diris a me. — *lacus,* cf. adn. supra ad I. 1, 10: «pleno lacu». — *formosas,* sc. puellas, ut supra I. 4, 3: «formosos» sc. pueros; cf. adn. ad h. l. — *tristibus agris,* non ablativus loci, sed dativus cum *licet* iungendus; nam, ut supra ex vs. 61. elucet, agri ipsi abducunt Nemesin ab urbe et poeta eos ipsos vult punire diras imprecando. *Tristibus,* quia solitudinem ruris opponit lætitiæ urbis celebris. — *Abdere,* ex hominum frequentia removere, ut Hor. Ep. I. 1, 5: «latet abditus agris». — *non tanti sunt tua musta,* sc. ut propterea puellæ ruri lateant. — *pater,* Bacchus ornatur communi deorum cognomine, ut supra I. 3, 51. Iuppiter.

V. 67—72. *O valeant fruges,* valedicamus potius frugibus careamusque tota agricultura; cf. supra II. 6, 9: «valeatque Venus valeantque puellæ». — *Glans alat et prisco more bibantur aquæ,* ut aurea ætate; cf. adn. supra ad II. 1, 38: «glande» et Verg. Ge. I. 7—9: «Liber et alma Ceres, vestro si munere tellus Chaoniam pingui glandem mutavit arista Poculaque inventis Acheloia miscuit uvis» et Prop. II. 33, 27—28: «A pereat, quicumque meracas repperit uvas Corrupitque bonas nectare primus aquas». — *passim,* promiscue, ut Plin. N. H. V. 45: «Garamantes matrimoniorum exsortes passim cum feminis degunt». — *sulcos . . . satos,* frumento insitos; cf. adn. supra ad vs. 8: «arva serenda». — *Tunc, quibus* etc., vss. 71—76. poeta ante oculos habuit Prop. III. 13, 35—37., ubi agitur de

emantibus aureæ ætatis. — *aspirabat Amor*, propitius arat; cf. adn. supra ad II. 1, 80: «placidus leniter adflat Amor» et ibid. 35: «aspiraque mihi». — *aperte*, sub divo; aliter Ov. A. A. II. 621—623: «Tunc quoque, cum solem nondum prohibebat et imbrem Tegula, sed quercus tecta cibumque dabant, In nemore atque antris, non sub Iove iuncta voluptas». — *mitis . . . Venus*, ut supra I. 10, 66: «miti sit procul a Venere». — *in umbrosa . . . valle*, ut Prop. III. 13, 37. de amantibus ætatis aureæ: «Pinus et incumbens lentas circumdabat umbras».

V. 73—78. *mos precor ille redi*, vocativo adiectum *ille*, ut supra II. 4, 2: «libertas illa paterna». Post vs. 74. excidit hexameter, cuius sensus talis fere erat: pereat potius cura corporis colendi hominesque, ut olim ætate aurea, villosas pelles induant. — *Horrida*, hirta et inculta, ut Ov. Met. I. 513—514: «Non ego sum pastor, non hic armenta gregesque Horridus observo». — *villosa . . . veste*, pellibus, ut homines antiquissimi; cf. Prop. III. 13, 35. de ætate aurea: «Hinnulei pellis totos operibat amantes». — *laxam . . . togam*, qualem gestabant homines elegantiores; cf. adn. supra ad I. 6, 40: «fluit effuso cui toga laxa sinu».

V. 79—80. *Non ego me vinclis verberibusque nego*, insolenter dictum: fiam servus ex familia rustica neque vincula et verbera recusabo; cf. adn. ad I. 6, 37—38: «non sæva recuso Verbera, detrecto non ego vincla pedum» et ad I. 7, 42: «Crura licet dura compede pulsa sonent».

IN HONOREM MESSALINI QUINDECIMVIRI.

Lib. II. eleg. 5.

Introductio. Messalinus, M. Valerii Messallæ Corvini filius in collegium quindecimvirorum sacris faciundis librisque Sibyllinis inspiciendis cooptatus est et nunc inauguratur. Poeta invocat Apollinem, ut veniat cum cithara carminibusque et festive ornatus ad inaugurationem novi sacerdotis doceatque eum, ut oracula librorum Sibyllinorum intellegere et recte interpretari possit (1—18). Sibylla Cumana, quæ Romanos nunquam frustrata est, dedit olim sortes Aeneæ in Italiam venienti, qui relicto Ilio non crediderat in tantam magnitudinem escensuros esse nepotes suos (19—22). Digressio de habitu locorum, ubi postea Roma condita (23—38). Sequitur vaticinium ipsum Sibyllæ de Aeneæ in Latium adventu, de origine Romæ et de imperio Romano totum orbem terrarum amplexuro (39—66). Evenerunt etiam aliarum Sibyllarum vaticinia de prodigiis, quæ nuper bellum civile portenderant (67—78). Sed Apollo tollat in posterum prodigia; nunc saltem in sacrificio sibi oblato auspicia felicis anni præbet crepitu lauri (79—82). Hoc transitu parato describit poeta bona fausti anni et gaudia festorum rusticorum (83—100). Hinc ad rixas amantium deducta oratione queritur de crudelitate Nemesis,

amicæ suæ, cuius amore deperit (101—112). Rogat eam, ut parcat vitæ suæ; cupit enim futurum Messalini triumphum carmine celebrare (113—120). In fine iterum Apollinem invocat, ut huic voto propitius sit (121—122).

M. Valerius Messalinus erat filius maior Messallæ, fautoris Tibulli; eo tempore, quo hæc elegia scripta est, egregiæ spei iuvenis; consul factus est a. 3. a. Chr. n.*

V. 1—4. *novus . . . sacerdos,* Messalinus — *tua templa,* templum Apollinis Palatini ab Augusto a. 28. a. Chr. n. dedicatum. — *Huc age cum cithara carminibusque veni,* sc. ut spiritum poetæ excitet. — *Nunc te vocales impellere pollice chordas,* accusativus cum infinitivo, pendet a *precor* (vs. 4.); rarior constructio. Cf. Ov. Her. 19, 82: «Et nunquam placidas esse precarer aquas». Versum ante oculos habuit Ov. Am. II. 4, 27: «Hæc querulas habili percurrit pollice chordas» et Met. X. 145: «Ut satis impulsas temptavit pollice chordas». — *vocales,* sonoras; cf. Lygd. 4, 79. (Apollo de se): «Tunc ego nec cithara poteram gaudere sonora». — *impellere,* Apollo aut Musæ excitant pulsu lyræ aut cantu tibiæ poetarum spiritum; cf. Hor. Carm. I. 1, 30—34: «me gelidum nemus Nympharumque leves cum Satyris chori Secernunt populo, si neque tibias Euterpe cohibet nec Polyhymnia Lesboum refugit tendere barbiton» et ibid. III. 4, 1—4: «Descende cælo et dic age tibia Regina longum Calliope melos, Seu voce nunc mavis acuta, Seu fidibus citharave Phœbi». — *ad laudes flectere verba meas,* verba accommodare encomio meo in honorem Messalini scribendo; nam non modos solum, sed etiam verba carminum Apollo aut Musæ poetis dictant; cf. Prop. IV. 1, 133: «Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo» et

* Cf. infra Excurs. IX.

II. 1, 3: «Non hæc Calliope, non hæc mihi cantat Apollo» et I. 1, 27: «Cum tibi præsertim Phœbus sua carmina donet»; Panegyr. in Mess. 178: «Ipse mihi non si præscribat carmina Phœbus». — *flectere,* accommodare, ut Liv. XXVIII. 44: «id est viri et ducis, non deesse fortunæ præbenti se et oblata casu flectere ad consilium».

V. 5—10. *Ipse triumphali* etc., poeta ante oculos habuisse videtur statuam Apollinis citharœdi a Scopa factam, coronatam lauro, indutam palla longa, capillis in nodum collectis, quæ stabat in æde Apollinis Palatini ab Augusto dedicata; cf. Plin. N. H. XXXVI. 25. de Scopa: «Is fecit . . . Apollinem Palatinum». Huic similis est ea Apollinis citharœdi statua, quæ nunc in Museo Vaticano servatur. Scopæ opus respexit etiam Ov. Met. XI. 165—168: «Ille caput flavum lauro Parnaside vinctus Verrit humum Tyrio saturata murice palla: Instructamque fidem gemmis et dentibus Indis Sustinet a læva, tenuit manus altera plectrum». — *Ipse . . . veni,* invitat deum ad sacrificium ei oblatum, ut supra II. 2, 5: «Ipse suos adsit Genius visurus honores». — *triumphali . . . lauro,* ut boni ominis loco sit Messalino iuveni mox triumphales lauros adfectaturo; cf. infra vss. 115—117: «Ut Messalinum celebrem, cum præmia belli Ante suos currus oppida victa feret, Ipse gerens lauros». Similiter invocantur Bacchus et Ceres supra II. 1, 3—4., ut adsint sacrificio ambarvali uvis et spicis ornati, tamquam pignus afferentes vindemiæ et messis bonæ. Triumphalia ornamenta auguratur poeta Messalino iam nunc, quia per quindecimviratum aditus patebat ad magistratus summos; cf. Liv. VI. 42. de custodibus librorum Sibyllinorum: «graduque eo iam via facta ad consulatum videbatur» et Stat. Silv. I. 2, 174—177. de L. Auruntio Stella: «Hunc et bissenos, sic indulgentia pergat Præsidis Ausonii, cernas

attollere fasces Ante diem; certe iam nunc Cybeleia novit Limina et Euboicæ carmen legit ille Sibyllæ». — *Dum cumulant aras,* ture et prosiciis ex more; cf. Verg. Aen. VIII. 284: «cumulantque oneratis lancibus aras» et ibid. XI. 50: «cumulatque altaria donis». — *nitidus,* bene ornatus, ut Hor. Carm. III. 24, 20: «nitido fidit adultero». — *vestem Sepositam,* sc. ad festos dies; intellegenda est palla, qualis decet citharœdum; cf. Ov. Met. XI. 166. de Apolline citharœdo: «Verrit humum Tyrio saturata murice palla» et Rhet. ad Herenn. 4, 60: «citharœdus cum prodierit optime vestitus, palla inaurata». — *longas . . . comas,* intonsas; cf. adn. supra ad I. 4, 38: «Nam decet intonsus crinis utrumque deum». — *bene pecte,* capillis in nodum eleganter collectis; cf. adn. supra ad vs. 5: «Ipse triumphali». — *Saturno rege fugato Victori laudes concinuisse Iovi,* Apollo pæana cantat Iovi victori; cf. Senec. Ag. 399. sqq. ad Apollinem: «licet et chorda graviore sones, quale canebas, cum Titanas fulmine victos videre dei».

V. 11—16. *procul,* ex longinquo, iunge cum *vides.* — *eventura vides,* ut Lygd. 4, 47—48. Apollo de se: «At mihi fatorum leges ævique futuri Eventura pater posse videre dedit». — *tibi deditus augur* etc., alludit ad tria vaticinationis genera, ad augurium, sortilegium et haruspicinam, ut supra I. 8, 3—4: «Nec mihi sunt sortes, nec conscia fibra deorum, Præcinit eventus nec mihi cantus avis». — *Tibi deditus,* tibi serviens, ut supra I. 2, 97—98: «semper tibi dedita servit Mens mea». — *quid . . . cantet avis,* alludit ad vaticinationem per oscines; cf. adn. supra ad I. 8, 4: «cantus avis». — *fati provida,* ut Ov. Met. XII. 18: «veri providus augur». — *sortes,* sortilegium; cf. adn. supra ad I. 8, 3: «sortes». — *præsentit,* sc. futura; absolute positum. — *Lubrica . . . exta,* ut cor, iecur. — *notis,* cf. Ov.

Met. VII. 600—601: «Fibra quoque ægra notas veri monitusque deorum Prodiderat». — *Sibylla,* Cumana; cf. Varronis verba apud Lactant. Div. Inst. I. 6, 10: «septimam (Sibyllam) Cumanam . . . eamque novem libros attulisse ad regem Tarquinium Priscum ac pro iis trecentos Philippeos postulasse regemque aspernatum pretii magnitudinem derisisse mulieris insaniam; illam in conspectu regis tris combussisse ac pro reliquis idem pretium poposcisse; Tarquinium multo magis insanire mulierem putavisse; quæ denuo tribus aliis combustis cum in eodem pretio perseveraret, motum esse regem ac residuos trecentis aureis emisse» et ibid. I. 6, 13: «(Sibyllæ) Cymææ, cuius libri a Romanis occultantur nec eos ab ullo nisi a quindecimviris inspici fas habent». — *Abdita . . . fata,* arcana, ut Verg. Aen. VI. 72—73. de oraculis Sibyllinis: «arcanaque fata Dicta meæ genti». — *senis . . . canit pedibus,* versibus hexametris, quibus omnia oracula Sibyllina erant scripta.

V. 17—22. *sacras . . . chartas,* libros Sibyllinos. — *quid canat illa, doce,* ut auxilio sit Messalino in oraculis obscuris interpretandis. — *Hæc dedit Aeneæ sortes,* Sibylla Cumana, ut etiam Verg. Aen. VI. 42. sqq. narrat. — *sortes,* non sortes proprio sensu (ut supra vs. 13.), sed oracula ore dicta; cf. Verg. Aen. VI. 72—76. (verba Aeneæ ad Sibyllam): «Hic ego namque tuas *sortes* arcanaque fata, Dicta meæ genti, ponam lectosque sacrabo, Alma, viros: foliis tantum ne carmina manda, Ne turbata volent rapidis ludibria ventis; Ipsa canas, oro». — *parentem,* Anchisen; cf. Verg. Aen. II. 707. sqq. — *raptos . . . Lares,* Penates, qui sæpe cum Laribus confunduntur; cf. Verg. Aen. I. 378—379: «Sum pius Aeneas, raptos qui ex hoste Penates Classe veho mecum». — *sustinuisse,* sc. humeris; cf. Cic. De senect. 10: «cum Milo humeris sustineret bovem vivum». — *ab alto,*

postquam navem conscendit et litora Troiæ reliquit. — *ardentes . . . deos*, templa deorum, ut Verg. Aen. III. 275: «Et formidatus nautis aperitur Apollo» i. e. templum Apollinis; cf. Prop. II. 6, 36: «desertos occupat herba deos» i. e. statuas deorum.

V. 23—26. *æternæ . . . urbis,* Romæ, ut Ov. Fast. III. 72. de Romulo: «æternæ sic pater urbis ait» et Verg. Aen. I. 276—279: «Romulus excipiet gentem et Mavortia condet Mœnia Romanosque suo de nomine dicet: His ego nec metas rerum nec tempora pono: Imperium sine fine dedi». — *formaverat . . . Moenia,* ut Verg. Aen. IX. 80—81: «Tempore, quo primum Phrygia formabat ab Ida Aeneas classem». — *consorti,* fratri, ut Ov. Met. XI. 346. Fratres consortes appellantur, quia coheredes sunt; cf. Min. Fel. 31, 8: «ut consortes fidei, ut spei coheredes» et Tertull. Res. carn. 7: «caro consors et coheres animæ». De sorore Ov. Ex Pont. III. 2, 48: «Consortem Phœbi gens colit illa deam» i. e. Dianam. — *tunc pascebant herbosa Palatia vaccæ,* cf. Ov. A. A. III. 179—180: «Quæ nunc sub Phœbo ducibusque Palatia fulgent, Quid nisi araturis pascua bubus erat?» et Prop. IV. 1, 1—4: «qua maxima Roma est, Ante Phrygem Aenean collis et herba fuit, Atque ubi Navali stant sacra Palatia Phœbo, Euandri profugæ concubuere boves». — *stabant humiles in Iovis arce casæ,* in Capitolio erant casæ pastorum; cf. Ov. Fast. V. 93—94: «Hic, ubi nunc Roma est, orbis caput, arbor et herbæ Et paucæ pecudes et casa rara fuit».

V. 27—32. *Lacte madens . . . Pan,* simulacrum Panis, dei pastorum, lacte aspergebatur in sacrificio, ut etiam signum Palis, deæ pastorum; cf. supra I. 1, 36: «Et placidam soleo spargere lacte Palem» et adn. ad h. l. — *facta agresti lignea falce Pales,* cf. Prop. IV. 2, 59. de signo

Vertumni: «Stipes acernus eram properanti falce dolatus». — *agresti . . . falce,* qualem agrestes habent. — *Pendebatque vagi pastoris in arbore votum . . . fistula,* fistulam pro dono votivo Pani in arbore suspendere solebant pastores, ut Verg. Ecl. 7, 24: «Hic arguta sacra pendebit fistula pinu». — *vagi pastoris,* in silvis et montibus cum grege errantis. — *in arbore,* in ilice supra vs. 27. commemorata. — *votum,* donum votivum, ut Prop. IV. 3, 17: «Omnibus heu portis pendent mea noxia vota». — *Garrula . . . fistula,* ut Verg. Ecl. 7, 24: «arguta fistula» et Lygd. 4, 38: «garrula lyra». — *silvestri . . . sacra deo,* Pani, inventori fistulæ; cf. Verg. Ecl. 2, 32—33: «Pan primus calamos cera coniungere plures Instituit». — *Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo,* σύριγξ ex septem disparibus calamis constans; cf. Verg. Ecl. 2, 36—37: «Est mihi disparibus septem compacta cicutis Fistula» et Ov. Met. VIII. 189—192: «nam ponit in ordine pennas A minima cœptas, longam breviore sequenti, Ut clivo crevisse putes: sic rustica quondam Fistula disparibus paulatim surgit avenis». — *calamus cera iungitur,* ut Verg. Ecl. 3, 25—26: «fistula cera Iuncta» et Ov. Met. I. 711—712: «Atque ita disparibus calamis compagine ceræ Inter se iunctis».

V. 33—38. *At, qua Velabri regio patet, ire solebat Exiguus pulsa per vada linter aqua,* Velabrum erat planities inter montes Capitolinum, Palatinum et Aventinum, in quam olim sæpe exundabat Tiberis; cf. Prop. IV. 2, 7—8: «Hac quondam Tiberinus iter faciebat et aiunt Remorum auditos per vada pulsa sonos» et IV. 9, 5—6: «Qua Velabra suo stagnabant flumine quaque Nauta per urbanas velificabat aquas»; Ov. Fast. VI. 405—406: «Qua Velabra solent in circum ducere pompas, Nil præter salices cassaque canna fuit». — *patet,* extenditur. — *pulsa . . .*

aqua, ut supra I. 4, 12. de natante: «Hic placidam niveo pectore pellit aquam»; cf. Catull. 64, 56: «iuvenis fugiens pellit vada remis» ; Ov. Trist. IV. 1, 9—10: «Quique refert pariter lentos ad pectora remos, In numerum pulsa bracchia iactat aqua» et Ex Pont. IV. 10, 33: «qua remus iter pulsis modo fecerat undis». — *per vada,* per paludes. — *illa,* adverbium: illac. — *gregis diti . . . magistro,* qui erat dominus et pastor gregis sui. — *placitura,* ut favorem eius sibi conciliaret. — *ad iuvenem,* sc. ad magistrum gregis, qui iuvenis erat. — *festa . . . die,* cum ferias haberent rustici. — *niveæ . . . ovis,* ut supra II. 4, 28: «niveam ovem». — *candidus agnus,* alba lana fulgens; cf. supra II. 1, 62: «Molle gerit tergo lucida vellus ovis».

V. 39—44. *Impiger Aenea,* vss. 39—64. sunt verba Sibyllæ ad Aeneam; *impiger,* quia decem annos erravit, ut in Italiam perveniret. Eadem de causa Hor. Carm. IV. 8, 30: «impiger Hercules», quippe qui orbem terrarum peragraverit. — *frater Amoris,* erat enim filius Veneris; cf. Verg. Aen. I. 667—668. (Venus ad Amorem): «Frater ut Aeneas pelago tuus omnia circum Litora iactetur». — *Troica . . . sacra,* Penates et res sacras ad cultum deorum pertinentes; cf. Verg. Aen. II. 293 (Hector ad Aeneam): «Sacra suosque tibi commendat Troia Penates». — *profugis . . . ratibus,* ut Ov. Trist. I. 3, 84: «Accedam profugæ sarcina parva rati» et ibid. V. 2, 62: «Et Scythicum profuga scindere puppe fretum». — *Laurentes . . . agros,* appulit enim Aeneas ad agrum Laurentem in Latio ibique in litus escendit. Laurentum autem erat sedes Latini, regis Latinorum. Cf. Liv. I. 1, 4: «Aeneam . . . ab Sicilia classe ad Laurentem agrum tenuisse . . . ibi egressi Troiani». — *errantes . . . Lares,* cf. Verg. Aen. VI. 66—68. (verba Aeneæ): «da, non indebita posco Regna meis fatis, Latio

considere Teucros Errantesque deos agitataque numina Troiæ». — *hospita terra,* Troianos hospitio et fœdere excepit rex Latinus; cf. Verg. Aen. VII. 263—265. (verba Latini): «Ipse modo Aeneas, nostri si tanta cupido est, Si iungi hospitio properat sociusque vocari, Adveniat vultus neve exhorrescat amicos». — *Lares,* ut supra vs. 20; cf. adn. ad h. l. — *sanctus eris,* ut deus. — *cum te veneranda Numici Unda deum cœlo miserit Indigetem,* Aeneas post pugnam ad Numicium commissam, qua Etruscos Rutulosque devicerat, in flumen se coniecit nec postea visus est, sed in deorum numerum relatus Iovis Indigetis nomen accepit; cf. Liv. I. 2, 6: «secundum inde prœlium Latinis, Aeneæ etiam ultimum operum fuit. Situs est, quemcumque eum dici ius fasque est, super Numicum fluvium; Iovem Indigetem appellant». — *veneranda Numici unda,* veneranda præcipue, quia Aeneam fæcibus mortalibus purgavit; cf. Ov. Met. XIV. 600—608: «Hunc (sc. Numicium) iubet (sc. Venus) Aeneæ quæcumque obnoxia morti, Abluere et tacito deferre sub æquora cursu. Corniger exsequitur Veneris mandata suisque, Quidquid in Aenea fuerat mortale, repurgat Et respersit aquis; pars optima restitit illi. Lustratum genitrix divino corpus odore Unxit et, ambrosia dulci cum nectare mixta, Contigit os fecitque deum, quem turba Quirini Nuncupat Indigetem temploque arisque recepit». Hinc apud Verg. Aen. VII. 242: «fontis vada sacra Numici» et ibid. 797—798: «sacrumque Numici Litus». — *Numici,* appellatur et Numicus et Numicius. — *cœlo,* dativus: in cælum.

V. 45—50. *fessas . . . puppes,* propter navigationem decem annorum. — *volitat Victoria,* est enim Victoria dea alata; cf. Ov. Trist. II. 171. de Victoria: «Ausoniumque ducem solitis circumvolet alis». — *Rutulis incendia castris,*

agitur certe de castris Rutulorum ab Aenea incensis, cuius rei apud alios scriptores nulla restat memoria. — *barbare Turne*, rex Rutulorum, hostis Aeneæ; *barbare*, ferox et crudelis, ut Prop. III. 16, 13—14: «Quisquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris, Nemo adeo, ut noceat, barbarus esse velit» et Ov. Am. I. 7, 19: «Quis mihi non: demens! quis non mihi: barbare! dixit». — *necem*, Turnus ab Aenea occisus est; cf. Verg. Aen. XII. 697. sqq. — *Laurens castrum*, appulit Aeneas ad ripam orientalem Tiberis ibique castra muniit in agro Laurenti; cf. Verg. Aen. VII. 157—159: «(Aeneas) humili designat mœnia fossa Moliturque locum primasque in litore sedes Castrorum in morem pinnis atque aggere cingit». Hunc locum, primam Troianorum in Latio sedem, Varro apud Serv. ad Verg. Aen. IX. 8., ut Tibullus, *Laurens castrum*, Vergilius autem ipse Aen. X. 635. *Laurentia castra* vocat. — *Lavini*, urbs nova ab Aenea condita et in honorem uxoris Laviniæ, filiæ regis Latini, Lavinium appellata; cf. Varr. L. L. V. 144: «Oppidum, quod primum conditum in Latio stirpis Romanæ, Lavinium; nam ibi dii Penates nostri». — *Albaque ab Ascanio condita Longa duce*, cf. Verg. Aen. I. 270—271. de Ascanio, Aeneæ filio: «regnumque ab sede Lavini Transferet et Longam multa vi muniet Albam»; Liv. I. 3, 3: «Ascanius ... abundante Lavini multitudine florentem iam, ut tum res erant, atque opulentam urbem matri seu novercæ reliquit, novam ipse aliam sub Albano monte condidit, quæ ab situ porrectæ in dorso urbis Longa Alba appellata».

V. 51—56. *Marti placitura*, quæ Marti placebis, non autem: quæ placere vis, nam Mars Iliam secundum Liv. I. 4. vi, secundum Ov. Fast. III. 11. sqq. in somno compressit. Aliud significat *placitura* supra vs. 35; cf. adn. ad

h. l. — *sacerdos Ilia,* sive Rhea Silvia, virgo Vestalis, mater Romuli et Remi. — *Vestales deseruisse focos,* Ilia ad ripam fluminis accessit, ut aquam hauriret ad sacra lavanda; ibi eam Mars compressit. Cf. Ov. Fast. III. 11—13: «Silvia Vestalis . . . Sacra lavaturas mane petebat aquas: Ventum erat ad molli declivem tramite ripam» et ibid. 21: «Mars videt hanc visamque cupit potiturque cupita». — *Concubitusque tuos furtim,* furtivos, adverbium pro adiectivo; cf. adn. supra ad I. 3, 50: «repente viæ». — *vittasque iacentes,* insignia virginum Vestalium, quæ delapsæ sunt capite puellæ reluctantis; cf. Ov. Fast. III. 29—30. de somnio Iliæ: «Ignibus Iliacis aderam, cum lapsa capillis Decidit ante sacros lanea vitta focos». — *cupidi,* cf. adn. supra ad I. 8, 56: «cupidis» et Prop. I. 2, 17—18: «Idæ et cupido quondam discordia Phœbo, Eueni patriis filia litoribus». — *ad ripas,* sc. fluminis ab Ov. Fast. III. 13. supra laud. commemorati. — *arma relicta dei,* Mars in amplexum puellæ iturus clipeum et hastam in ripa reliquit; cf. Ov. Fast. III. 1—2: «Bellice, depositis clipeo paulisper et hasta, Mars, ades» et ibid. 9—10: «Tunc quoque inermis eras, cum te Romana sacerdos Cepit, ut huic urbi semina digna dares»; Iuv. Sat. XI. 106—107: «Ac nudam effigiem clipeo venientis et hasta Pendentisque dei», ubi scholiasta adnotat: «Martis ad Iliam venientis, ut concumberet». — *Carpite nunc tauri de septem montibus herbas, Dum licet: hic magnæ iam locus urbis erit,* cf. Prop. III. 9, 49: «Celsaque Romanis decerpta Palatia tauris», quem locum Tibullus ante oculos habuit, et Ov. Fast. I. 243—244: «Hic, ubi nunc Roma est, incædua silva virebat, Tantaque res paucis pascua bubus erat».

V. 57—62. *terris fatale regendis,* dativus: fato destinatum ad terras regendas; cf. Cic. Cat. IV. 1, 2: «Lentulus

suum nomen inductus a vatibus fatale ad perniciem reipublicæ fore putavit» et Liv. XXV. 16, 9: «dies composita gerendæ rei est». — *Qua sua de cælo prospicit arva Ceres*, qua culta terra est; culta pars terræ tota Romæ paret. Cf. Ov. Fast. I. 85—86: «Iuppiter arce sua cum totum spectet in orbem, Nil nisi Romanum, quod tueatur, habet»; Hor. Carm. sæc. 9—12: «Alme Sol, curru nitido diem qui Promis et celas aliusque et idem Nasceris, possis nihil urbe Roma Visere maius»; Verg. Ge. I. 96: «Flava Ceres alto nequiquam spectat Olympo». — *patent*, extenduntur, ut supra vs. 33: «At qua Velabri regio patet». — *ortus et qua fluitantibus undis Solis anhelantes abluit amnis equos*, cf. Hor. Carm. IV. 15, 14—16: «imperi Porrecta maiestas ad ortus Solis ab Hesperio cubili»; Ov. Fast. II. 136. de Augusto: «Hoc duce Romanum est solis utrumque latus» et ibid. IV. 831—832. de Roma: «Longa sit huic ætas dominæque potentia terræ, Sitque sub hac oriens occiduusque dies». — *ortus*, sc. solis, pars orbis terrarum orientalis. — *fluitantibus undis . . . amnis*, Oceanus, quia orbem terrarum circumfluit; cf. Hom. Od. XI. 639: Ὠκεανὸν ποταμόν; Verg. Ge. IV. 233: «Oceani amnis»; Ov. Met. I. 30—31: «circumfluus umor (sc. Oceanus) Ultima possedit solidumque coercuit orbem»; Lygd. 4, 17—18: «Iam nox ætherium nigris emensa quadrigis Mundum cæruleo laverat amne rotas». — *anhelantes . . . equos*, propter cursum diurnum; cf. Ov. Met. IV. 633—634: «pontus erat, qui Solis anhelis Aequora subdit equis et fessos accipit axes». — *abluit*, ut Verg. Ge. III. 359. de Sole: «Præcipitem Oceani rubro lavit æquore cursum». — *Troia*, Troia resurgens, i. e. Roma. — *sibi dicet Vos bene tam longa consuluisse via*, cf. Prop. IV. 2, 39—40: «Huc melius profugos misisti, Troia, Penates! O quali vecta est Dardana puppis ave»;

Hor. Carm. sæc. 37. sqq.: «Roma si vestrum est opus Iliæque Litus Etruscum tenuere turmæ, Iussa pars mutare Lares et urbem Sospite cursu, Cui per ardentem sine fraude Troiam Castus Aeneas patriæ superstes Liberum munivit iter, daturus Plura relictis».

V. 63—66. *sacras innoxia laurus Vescar,* vates folia lauri Apolloni sacræ manducabant excitandi furoris causa; cf. Callim. hymn. in Del. 94: Ἀλλ' ἔμπης ἐρέω τι τορώτερον ἢ ὑπὸ δάφνης et Lycophr. 6. de vatibus: δαφνηφάγοι λαιμοί. — *innoxia,* ita, ut furor mihi non noceat; sensu passivo, ut Lucan. IX. 892: «gens a sævo serpentum innoxia morsu». — *Vescar,* cum accusativo; rarior usus. — *æternum,* pro substantivo: æternum bonum; cf. Ov. Am. I. 9, 4: «Turpe senex miles, turpe senilis amor». — *virginitas,* de perpetua Sibyllæ virginitate cf. Ov. Met. XIV. 130. sqq. et Pseudo-Arist. Mirab. 95: (τὴν Σιβύλλαν) πολυχρονιωτάτην γενομένην πάρθενον διαμεῖναί φασιν. — *te sibi, Phoebe, vocavit,* inter dicendum vaticinantium more sæpius Phœbum invocavit. — *Iactavit fusas et caput ante comas,* comas diffundere et iactare solebant vaticinantes; cf. Verg. Aen. VI. 46—48. de Sibylla Cumana: «cui talia fanti Ante fores subito non vultus, non color unus, Non comptæ mansere comæ» et Ov. Her. 5, 114. de Cassandra: «Sic mihi diffusis vaticinata comis». — *fusas,* iunge cum *caput ante* i. e. ante frontem; erat enim mos fanaticorum comas demittere ita, ut eæ secundum Apul. Met. IX. 30: «anteventulæ contegerent faciem»; cf. etiam Quint. Inst. Or. XI. 3, 71: «iactare caput et comas excutientem rotare fanaticum est».

V. 67—70. *Quidquid* etc., cum plures fuerint Sibyllæ (secundum Varronem apud Lactant. Div. Inst. I. 6. decem), poeta hoc loco præter Sibyllam Cumanam etiam alias Sibyllas oraculaque earum commemorat. Omnium fere

Sibyllarum libri a quindecimviris servabantur; cf. Varronis verba apud Lactant. Div. Inst. I. 6, 11: «(librorum Sibyllinorum) numerus sit auctus Capitolio refecto,* quod ex omnibus civitatibus et Italicis et Græcis præcipueque Erythræis coacti adlatique sunt Romam». — *Amalthea,* ultima syllaba longa, ut in lingua Græca et Ov. Fast. V. 115: «Nais Amalthea, Cretæa nobilis Ida», ubi agitur de nutrice Iovis. Amalthea est secundum Varronem Sibylla Cumana; cf. Varr. apud Lactant. Div. Inst. I. 6, 12: «septimam (Sibyllam esse) Cumanam, nomine Amaltheam». — *Marpesia,* sc. Sibylla, secundum Varronem Sibylla octava; cf. Varr. apud Lactant. Div. Inst. I. 6, 12: «octavam Hellespontiam in agro Troiano natam, vico Marpesso circa oppidum Gergithium, quam scribat Heraclides Ponticus Solonis et Cyri fuisse temporibus». — *Herophile,* nomen Sibyllæ, de qua Pausan. X. 12, 2: ἡ δὲ Ἡροφίλη . . . φαίνεται . . . πρὸ τοῦ πολέμου γεγονυῖα καὶ αὕτη τοῦ Τρωικοῦ καὶ Ἑλένην τε προεδήλωσεν ἐν τοῖς χρησμοῖς ὡς ἐπ' ὀλέθρῳ τῆς Ἀσίας καὶ Εὐρώπης τραφήσοιτο ἐν Σπάρτῃ καὶ ὡς Ἴλιον ἁλώσεται δι' αὐτὴν ὑπὸ Ἑλλήνων. Eam et Marpesii et Erythræi sibi vindicabant teste Pausan. X. 12, 4. et 7.; Erythræam fuisse eam dicunt Anonym. de Sibyll. 34., Varro apud Lactant. Div. Inst. I. 6, 9: «quintam Erythræam, quam Apollodorus Erythræus adfirmet suam fuisse civem eamque Grais Ilium petentibus vaticinatam et perituram esse Troiam et Homerum mendacia scripturum» et Isidor. Hispal. Orig. VIII. 8, 4: «quinta Erythræa nomine Herophila». Cf. etiam Lactant. Div. Inst. I. 6, 14: «(Sibylla) Erythræa, quæ celebrior inter ceteras ac nobilior habetur, si quidem Fenestella, diligentissimus scriptor, de quin-

* Capitolium deflagravit a. 83., restitutum est a. 76. a. Chr. n.

decimviris dicens ait restituto Capitolio rettulisse ad senatum C. Curionem consulem, ut legati Erythras mitterentur, qui carmina Sibyllæ conquisita Romam deportarent». Erythræ autem erant oppidum in Asia in litore maris Aegæi adversus Chium insulam situm. — *Phoebo grata,* cf. Pausan. X. 12, 3. de Herophila: Δήλιοι δὲ καὶ ὕμνου μέμνηνται τῆς γυναικὸς ἐς Ἀπόλλωνα. Καλεῖ δὲ οὐχ Ἡροφίλην μόνον, ἀλλὰ καὶ Ἄρτεμιν ἐν τοῖς ἔπεσιν αὐτὴν καὶ Ἀπόλλωνος γυνὴ γαμετή, τοτὲ δ' ἀδελφὴ καὶ αὖθις θυγάτηρ φησὶν εἶναι. — *admonuit,* ut Cic. Nat. De. II. 166: «multa . . . ostentis, multa extis admonemur». — *Quasque,* supple: quidquid sacræ sortes admonuerunt, quas Sibylla Tiburs per flumen portavit. — *Aniena sacras Tiburs per flumina sortes Portarit sicco pertuleritque sinu,* rem aliter narrat Varr. apud Lactant. Div. Inst. I. 6, 12: «decimam (Sibyllam) Tiburtem nomine Albuneam, quæ Tiburi colatur ut dea iuxta ripas Anienis, cuius in gurgite simulacrum eius inventum esse dicitur tenens in manu librum, cuius sortes senatus in Capitolium transtulerit». Quod igitur Varro de simulacro narrat, Albuneæ ipsi tribuit Tibullus. — *Tiburs,* sc. Sibylla, nam etiam Albunea Sibyllis adnumerabatur, ut Varro l. l. docet. — *Portarit . . . pertuleritque,* coniunctivi sunt opinantis et fabulam vulgo traditam referentis, non certo affirmantis. Ceterum cf. Senec. Benef. III. 37, 1: «Aeneas tulit illum per ignes et . . . pertulit».

V. 71—74. *Hæ,* sc. Sibyllæ. — *fore dixerunt* etc., vss. 72—78. agitur de prodigiis post mortem Iulii Cæsaris visis bellumque civile portendentibus, in quibus enumerandis poeta Verg. Ge. I. 466—499. sequitur. Tibullum et Vergilium ante oculos habuit Ovidius Met. XV. 783. sqq., ubi prodigia ante mortem Cæsaris visa commemorat. Cf. etiam Manil. I. 907. sqq. — *belli mala signa cometen,* cometas

bellum portendere credebant antiqui; cf. Verg. Aen. X. 272—273: «Non secus ac liquida si quando nocte cometæ Sanguinei lugubre rubent» et Claudian. Rapt. Pros. I. 232—234: «non illam navita tuto, Non impune vident populi, sed crine minaci Nuntiat aut ratibus ventos aut urbibus hostes». Cometam paulo post Cæsaris mortem apparuisse testatur Suet. Cæs. 88: «ludis, quos primos consecrato ei heres Augustus edebat, stella crinita per septem continuos dies fulsit»; plures eo tempore cometas visos esse affirmat Verg. Ge. I. 488: «nec diri totiens arsere cometæ»; cf. Manil. I. 907—909: «nec plura alias incendia mundus Sustinuit, quam cum ducibus iurata cruentis Arma Philippeos implerunt agmine campos». — *Multus ut in terras deplueretque lapis*, supple: et dixerunt fore, ut etc. Imbres saxei, frequens portentorum genus, sæpe commemorantur apud Livium (ut XXIX. 10, 4: «libris Sibyllinis propter crebrius eo anno lapidatum inspectis»), sed apud Vergilium l. l. inter prodigia post mortem Cæsaris visa nulla est huius rei mentio. Hoc unum igitur Tibullus de suo addidit. — *deplueretque*, coniunctio *-que* post quintum sententiæ verbum; cf. adn. supra ad I. 10, 51: «Rusticus e lucoque». — *Atque tubas atque arma ferunt strepitantia cælo Audita*, cf. Verg. Ge. I. 474—475: «Armorum sonitum toto Germania cælo Audiit» et Ov. Met. XV. 783—785: «Arma ferunt inter nigras crepitantia nubes Terribilesque tubas auditaque cornua cælo Præmonuisse nefas». — *lucos præcinuisse fugam*, cf. Verg. Ge. I. 476—477: «Vox quoque per lucos vulgo exaudita silentes Ingens» et Ov. Met. XV. 792—793: «cantusque feruntur Auditi sanctis et verba minacia lucis». Simile est apud Liv. II. 7, 2: «silentio proximæ noctis ex silva Arsia ingentem editam vocem; Silvani vocem eam creditam». — *fugam*, sc. Philippensem

Bruti et Casii. Cf. Verg. Ge. I. 489—490., ubi prodigiis post mortem Cæsaris visis enumeratis ita dicere pergit: «Ergo inter sese paribus concurrere telis Romanas acies iterum videre Philippi»; Hor. Carm. II. 7, 9—10: «Tecum Philippos et celerem fugam Sensi».

V. 75—78. *Ipsum etiam Solem defectum lumine vidit Iungere pallentes nubilus annus equos,* cf. Verg. Ge. I. 466—468. de Sole: «Ille etiam exstincto miseratus Cæsare Romam, Cum caput obscura nitidum ferrugine texit Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem» et Ov. Met. XV. 785—786: «solis quoque tristis imago Lurida sollicitis præbebat lumina terris». Post mortem Cæsaris per totum fere annum obscuratum fuisse lumen solis testantur Plutarch. Cæs. 69: ὅλον γὰρ ἐκεῖνον τὸν ἐνιαυτὸν ὠχρὸς μὲν ὁ κύκλος καὶ μαρμαρυγὰς οὐκ ἔχων ἀνέτελλεν et Plin. N. H. II. 98: «Fiunt prodigiosi et longiores solis defectus, qualis occiso dictatore Cæsare et Antoniano bello totius pæne anni pallore continuo». — *Et simulacra deum lacrimas fudisse tepentes,* cf. Verg. Ge. I. 480: «Et mæstum inlacrimat templis ebur æraque sudant» et Ov. Met. XV. 792: «Mille locis lacrimavit ebur». — *Fataque vocales præmonuisse boves,* cf. Verg. Ge. I. 478: «pecudesque locutæ». — *vocales,* humana voce locuti, ut Prop. II. 34, 37—38: «Qualis et Adrasti fuerit vocalis Arion Tristis ad Archemori funera victor equus», ubi agitur de equo humana voce loquente, ut Stat. Theb. XI. 442. docemur. Simile est apud Liv. XXXV. 21, 4: «et quod maxime terrebat, consulis Cn. Domitii bovem locutum: Roma, cave tibi».

V. 79—82. *Hæc fuerant olim,* sc. hæc prodigia et bella. Cf. Manil. I. 922. de eadem re: «Sed satis hoc fatis fuerit, iam bella quiescant». — *mitis,* adiectivum pro adverbio; cf. Hor. Carm. sæc. 33—34: «Condito mitis placidusque

telo Supplices audi pueros, Apollo». — *Prodigia indomitis merge sub æquoribus,* tolle in posterum prodigia. Monstrosos partus aliaque portenta expiationis causa in mare proicere solebant Romani. Sic etiam Apollinis simulacrum, quod paulo ante mortem Scipionis Africani minoris per tres dies fleverat, concisum et in mare proiectum est teste Dione Cassio Excerp. Peiresc. n. 38. Poeta igitur optat, ut Apollo in posterum ipse tollat prodigia, antequam ea in conspectum hominum veniant, liberetque populum Romanum religioso metu. — *indomitis . . . æquoribus,* ut supra II. 3, 45: «indomitum mare». — *Ut succensa sacris crepitat bene laurea flammis,* comburebatur laurus in sacrificiis et crepitus flammarum bonum omen putabatur; cf. Ov. Fast. IV. 742: «Et crepet in mediis laurus adusta focis» et ibid. I. 344: «Et non exiguo laurus adusta sono»; Verg. Ecl. 8, 81: «Sparge molam et fragiles incende bitumine laurus». Hoc loco agitur de sacrificio die inaugurationis Messalini Apollini oblato, de quo cf. supra vs. 5—6. Simile est II. 1, 25—26: «Viden ut felicibus extis Significet placidos nuntia fibra deos», ubi ut hoc loco agitur de signis anni felicis in sacrificio observatis. — *Omine quo felix et sacer annus erit,* cf. Ov. Fast. I. 26: «Auspice te felix totus ut annus eat». — *sacer,* in tutela deorum; cf. adn. supra ad I. 2, 27: «sacerque».

V. 83—86. *Distendet spicis horrea plena Ceres,* ut Verg. Ge. IV. 164. de apibus: «Et liquido distendunt nectare cellas» et Aen. I. 433: «dulci distendunt nectare cellas». Cf. etiam Verg. Ge. I. 49: «Illius immensæ ruperunt horrea messes». — *Oblitus et musto feriet pede rusticus uvas,* cf. Verg. Ge. II. 7—8: «Huc, pater o Lenæe, veni nudataque musto Tingue novo mecum dereptis crura cothurnis» et Prop. III. 17, 17—18: «Dum modo purpureo

spument tibi dolia musto Et nova pressantis inquinet uva pedes». — *feriet pede,* ut supra I. 7, 36: «expressa uva pedibus» et II. 1, 45: «pressos pedibus dedit uva liquores». — *dolia . . . lacus,* cf. adn. supra ad I. 1, 10: «pleno . . . lacu». — *deficiantque,* magnam vini copiam capere non possint. De collocatione coniunctionis *que* cf. adn. supra ad I. 10, 51: «Rusticus e lucoque».

V. 87—90. *madidus Baccho,* vino; cf. adn. supra ad II. 1, 30: «madere» et ad I. 2, 3: «multo percussum tempora Baccho». Pastores vere Palilia celebrantes vino large utuntur, quia autumno præterito, ut vs. 86. docemur, bona vindemia fuit. — *sua festa Palilia pastor,* Palilia die 21. Aprilis in honorem Palis celebrata erant festa pastorum; cf. adn. supra ad I. 1, 35: «pastoremque meum lustrare quotannis» et Ov. Fast. IV. 723—724. de Palilibus: «Alma Pales, faveas pastoria sacra canenti, Prosequor officio si tua festa pio» et Prop. IV. 4, 73. et 75: «Urbi festus erat, dixere Parilia patres . . . Annua pastorum convivia». — *Concinet,* cantando celebrabit, ut Hor. Carm. IV. 4, 41—42: «Concinet lætosque dies et urbis Publicum ludum». — *a stabulis tunc procul este lupi,* Palilibus orabatur Pales, dea pastorum, ut lupos averteret; cf. Ov. Met. IV. 765—766. (pastor ad Palem): «Neve minus multos redigam, quam mane fuerunt, Neve gemam referens vellera rapta lupo». — *Ille levis stipulæ sollemnis potus acervos Accendet flammas transilietque sacras,* cf. Prop. IV. 1, 19: «Annuaque accenso celebrare Palilia fæno» et IV. 4, 77—78: «Cumque super raros fæni flammantis acervos Traicit immundos ebria turba pedes»; Ov. Fast. IV. 781—782: «Moxque per ardentes stipulæ crepitantis acervos Traicias celeri strenua membra pede». Palilibus lustrabantur pastores ob culpas anno præterito commissas; cf. supra I. 1, 35: «pastorem-

que meum lustrare quotannis» et Ov. Fast. IV. 749—755. (preces pastoris ad Palem): «Sive sacro pavi sedive sub arbore sacra, Pabulaque e bustis inscia carpsit ovis, Si nemus intravi vetitum nostrisve fugatæ Sunt oculis nymphæ semicaperque deus, Si mea falx ramo lucum spoliavit opaco, Unde data est ægræ fiscina frondis ovi: Da veniam culpæ». Lustrandi modum docent Schol. ad Pers. Sat. I. 72. verbis Varronis: «Palilia tam privata quam publica sunt et est genus hilaritatis et lusus apud rusticos, ut congestis cum fæno stipulis ignem magnum transiliant, quod Pali faciunt eam se expiare credentes». — *sollemnis*, acc. plur.; iunge cum *acervos.*

V. 91—94. *Et fetus* etc., vss. 91—100. poeta ante oculos habuisse videtur Verg. Ge. II. 523—531., ubi felicitas vitæ rusticæ describitur. — *fetus matrona dabit,* felicitatis publicæ pars est præter ubertatem frugum (vss. 83—86.) et feturam gregum (vss. 87—90.) etiam fecunditas mulierum; cf. Herodot. III. 65: καὶ ταῦτα μὲν ποιεῦσι ὑμῖν γῆ τε καρπὸν ἐκφέροι καὶ γυναῖκές τε καὶ ποῖμναι τίκτοιεν. — *natusque parenti Oscula comprensis auribus eripiet,* ut Verg. Ge. II. 523. de agricola felici: «Interea dulces pendent circum oscula nati». — *parenti,* patri, ut Prop. II. 20, 15: «Ossa tibi iuro per matris et ossa parentis». — *comprensis auribus,* genus osculi etiam inter amantes usitatum, quod Græce χύτρα vocatur; cf. Pollucis Onomast. X. 100: εἰδέναι δὲ οὐ φαῦλον, ὅτι χύτρα καὶ φιλήματος εἶδος ἦν, ὁπότε τὰ παιδία φιλοίη τῶν ὤτων ἐπιλαμβανόμενα; Theocr. V. 132—133: Οὐκ ἔραμ' Ἀλκίππας, ὅτι με πρᾶν οὐκ ἐφίλησε Τῶν ὤτων καθελοῖσ', ὅκα οἱ τὰν φάσσαν ἔδωκα; Plaut. Asin. 668: «prehende auriculis, compara labella cum labellis» et Pœn. I. 2, 163: «Sine te prendam auriculis, sine dem savium». — *advigilare nepoti,* ut Stat. Theb. I. 147: «Non impacatis regum

advigilantia somnis Pila». — *Balbaque . . . verba,* ut cum infantibus loqui solent nutrices.

V. 95—100. *Tunc operata deo pubes discumbet in herba,* agitur de festis rusticorum sub divo celebratis, ut Verg. Ge, II. 527—529: «Ipse dies agitat festos fususque per herbam, Ignis ubi in medio et socii cratera coronant, Te libans, Lenæe, vocat» et ibid. I. 339: «Sacra refer Cereri lætis operatus in herbis». — *operata deo,* cf. adn. supra ad II. 1, 9: «sint operata deo». — *discumbet,* proprie dicitur de convivis mensæ accumbentibus; cf. Ov. Met. XII. 211—212: «positis ex ordine mensis Arboribus tecto discumbere iusserat antro». — *levis umbra,* mobilis, quia frondes arboris vento facile moventur; cf. adn. supra ad II. 6, 8: «levem aquam»; Ov. Met. V. 336: «nemorumque levi consedit in umbra» et Verg. Ecl. 5, 5: «sub incertas zephyris motantibus umbras». Simile est apud Prop. I. 18, 21: «teneras resonant mea verba sub umbras» et Verg. Ge. II. 297: «media ipsa (sc. arbor) ingentem sustinet umbram» et Stat. Silv. II. 3, 51—52: «discolor umbra Populus», ubi umbra frondem significat. — *Aut e veste sua tendent umbracula sertis Vincta,* quod erat sollemne in festis sub divo celebratis; cf. Ov. Fast. III. 529—530. de festo Annæ Perennæ: «Pars ubi pro rigidis calamos statuere columnis, Desuper extentas imposuere togas». — *coronatus stabit et ipse calix,* ut Verg. Ge. II. 528: «Ignis ubi in medio et socii cratera coronant». — *et ipse calix,* i. e. non solum umbracula sunt sertis vincta, sed etiam calix coronatus est. Cf. supra I. 10, 55—56: «Flet teneras obtusa genas, sed victor et ipse Flet». — *dapes . . . exstruet,* cibos cumulatim apponet. — *festas exstruet alte Cæspitibus mensas cæspitibusque torum,* ut Ov. Am. II. 11, 47—48: «Inque tori formam molles sternentur harenæ Et

tumulus mensæ quilibet instar erit» et Met. X. 556: «datque torum cæspes».

V. 101—104. *Ingeret . . . maledicta,* ut Hor. Sat. I. 5, 12—13: «Tum nautis pueri, pueris convicia nautæ Ingerere». — *ferus ille suæ,* qui in puellam suam ferus fuit; *ferus* cum dativo, ut Hor. Carm. III. 4, 33: «Britannos hospitibus feros». — *suæ,* sc. puellæ; cf. adn. ad I. 4, 75: «suæ». — *mente fuisse mala,* insana; cf. Senec. Benef. III. 27: «Rufus vir ordinis senatorii iocum quendam ebrius protulerat in reditum Augusti. Usus postea consilio servi descendenti Cæsari occurrit et cum malam mentem habuisse se pridie iurasset, id ut in se et filios suos recideret, optavit» et Catull. 40, 1—2: «Quænam te mala mens, miselle Ravide, Egit præcipitem in meos iambos?»

V. 105—108. *Pace tua . . . Phoebe,* cum tua venia; nam etiam Phœbus arcum et sagittas gestat. — *pereant arcus pereantque sagittæ, . . . modo in terris erret inermis Amor,* ut supra II. 6, 15—16: «Acer Amor, fractas utinam tua tela sagittas, Si licet, exstinctas aspiciamque faces». — *multis ars dedit ista malum,* ut in versu apud Ascon. ad Cic. Verr. act. pr. 29: «Dabunt malum Metelli Nævio poetæ»; cf. Ter. Andr. I. 1, 115—116: «Nam si illum obiurges, vitæ qui auxilium tulit, Quid facias illi, qui dederit damnum aut malum?»

V. 109—112. *iaceo cum saucius annum,* sc. sagittis Amoris vulneratus; cf. Prop. I. 1, 7. de amore in Cynthiam: «Et mihi iam toto furor hic non deficit anno». — *faveo morbo,* ut Ov. Am. II. 5, 11: «suo favet ille dolori». — *iuvat ipse dolor,* de dolore amoris, ut supra IV. 5, 5: «iuvat hoc, Cerinthe, quod uror» et Hor. Carm. I. 27, 11: «quo beatus Vulnere, qua pereat sagitta». — *iustos . . . pedes,* metrum accommodatum.

V. 113—118. *divum servat tutela poetas,* cf. Lygd. 4, 43—44: «Salve, cura deum: casto nam rite poetæ Phœbusque et Bacchus Pieridesque favent» et Ov. Am. III. 9, 17: «At sacri vates et divum cura vocamur». — *vati . . . sacro,* poetæ sacri vocantur, quia in tutela deorum sunt; cf. adn. supra ad I. 2, 27: «sacerque», Ov. l. l. et Hor. Carm. IV. 9, 28: «carent quia vate sacro»; Cic. pro Arch. 18: «suo iure noster ille Ennius sanctos appellat poetas, quod quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur». — *Ut Messalinum celebrem* etc., ut Ov. Ex Pont. II. 1, 63—64. de triumpho Germanici: «Hunc quoque carminibus referam fortasse triumphum, Sufficiat nostris si modo vita malis». — *Ante suos currus oppida victa feret,* in triumpho, ubi simulacra oppidorum, montium et fluviorum terræ hostilis partim in tabulis picta, partim statuis repræsentata produci solebant; cf. Ov. Trist. IV. 2, 19—20: «Ergo omnis populus poterit spectare triumphos Cumque ducum titulis oppida capta leget» et Ex Pont. II. 1, 37—38: «Protinus argento veros imitantia muros Barbara cum pictis oppida lata viris». Ceterum vaticinium poetæ postea evenit; cf. Vell. Pat. II. 112, 2: «(Messalinus) præpositus Illyrico, subita rebellione cum semiplena legione vicesima circumdatus hostili exercitu, amplius viginti milia hostium fudit fugavitque, et ob id ornamentis triumphalibus honoratus est». — *currus,* intellege currum triumphalem. — *Ipse gerens lauros,* triumphales, ut supra I. 7, 7: «te victrices lauros, Messalla, gerentem». — *lauro . . . agresti,* fera, ut Verg. Aen. VII. 111. et Tac. Germ. 23: «poma agrestia» i. e. quæ non in hortis nascuntur. — *io . . . triumphe,* sollemnis exclamatio, ut Hor. Carm. IV. 2, 49—50: «Tuque dum procedis: io triumphe, Non semel dicemus: io triumphe».

V. 119—122. *pia det spectacula*, amoris paterni. — *curru*, sc. triumphali. — *pater*, cf. Ov. Ex Pont. II. 1, 59. de Tiberio triumphum Germanici spectaturo: «Maturosque pater nati spectabit honores». — *Adnue: sic tibi sint intonsi, Phoebe, capilli*, ut Apoll. Rhod. II. 708—709. (preces ad Apollinem): Ἱλήκοις, αἰεί τοι ἄναξ ἄτμητοι ἔθειραι, Αἰὲν ἀδήλητοι· τὼς γὰρ θέμις. — *sic tibi sint*, cf. adn. ad I. 4, 1: «sic umbrosa» et Lygd. 6, 1—2: «Candide Liber, ades: sic sit tibi mystica vitis Semper, sic hedera tempora vincta feras». — *intonsi . . . capilli*, cf. adn. ad I. 4, 38: «Nam decet intonsus crinis utrumque deum». — *soror*, Diana virgo.

DE AMICA INNOMINATA.

I.

Lib. IV. eleg. 13.

Introductio. Poeta iurat se in perpetuum fidelem fore amicæ neque aliam puellam sibi unquam placituram (1—16). Profitetur vel in crudelissima servitute se perdurare velle (17—22). Si tamen intolerabilis futura sit servitus, Veneris auxilium se imploraturum (23—24).*

V. 1—4. *Nulla tuum nobis subducet femina lectum,* nulla femina mihi surripiet amorem in te. — *subducet,* surripiet, ut Prop. I. 8, 45: «Nec mihi rivalis certos subducit amores» et Soph. El. 115: τοὺς εὐνὰς ὑποκλεπτομένους, i. e. quibus lectus coniugalis surreptus est. — *lectum,* amorem, ut Prop. I. 18, 35: «Ipse tuus semper tibi sit custodia lectus» et III. 8, 37: «nostro texisti retia lecto» et IV. 8, 27: «Cum fieret nostro totiens iniuria lecto». — *Hoc primum iuncta est foedere nostra Venus,* hac lege primo lectum tuum conscendi; cf. Prop. III. 20, 13. et 15—16: «Nox mihi prima venit . . . Fœdera sunt ponenda prius signandaque iura Et scribenda mihi lex in amore novo» et ibid. 21—22: «Namque ubi non certo vincitur fœdere lectus, Non habet ultores nox vigilata deos». —

* Cf. infra Excurs. X. et XI.

iuncta est . . . Venus, cf. adn. supra ad I. 9, 76: «Venerem iungere». — *Tu mihi sola places,* ut Prop. II. 7, 19: «Tu mihi sola places: placeam tibi, Cynthia, solus» et Ov. A. A. I. 42: «Elige, cui dicas: tu mihi sola places». — *Formosa est oculis ulla puella meis,* ut Prop. IV. 4, 32: «Et formosa oculis arma Sabina meis» et III. 24, 2. de Cynthia: «Olim oculis nimium facta superba meis».

V. 5—8. *mihi bella videri,* ut Catull. 8, 16: «cui videberis bella?» — *tutus ero,* eadem verba in fine pentametri Prop. II. 13, 14: «domina iudice tutus ero». — *gloria vulgi,* fama inter vulgus, gloria vulgo nota me pulchram amicam habere. — *in tacito gaudeat ille sinu,* ita gaudere, ut vultus sinu togæ tegatur; poeta videtur imitari Prop. II. 25, 29—30: «Tu tamen interea, quamvis te diligat illa, In tacito cohibe gaudia clausa sinu»; cf. etiam Ov. Trist. IV. 5, 17: «Quod licet et tutum est, intra tua pectora gaude». Ceterum proverbialis est hæc locutio; cf. Cic. Tusc. Disp. III. 51: «ut in sinu gaudeant, gloriose loqui desinant»; Senec. Epist. 105, 3: «invidiam effugies, si te non ingesseris oculis, si bona tua non iactaveris, si scieris in sinu gaudere». Simile est Plaut. Epid. 651: «Quod boni est, id tacitus taceas tute tecum et gaudeas».

V. 9—12. *Sic,* ubi nemo amorem tuum mihi invidet. — *bene vivere,* beate, ut supra I. 3, 35: «Quam bene Saturno vivebant rege». — *Tu mihi curarum requies, tu nocte vel atra Lumen et in solis tu mihi turba locis,* cf. Prop. I. 11, 23—24: «Tu mihi sola domus, tu, Cynthia, sola parentes, Omnia tu nostræ tempora lætitiæ» et Hom. Il. VI. 429—430. (Andromache ad Hectorem): Ἕκτορ, ἄταρ σύ μοι ἐσσὶ πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ Ἠδὲ κασίγνητος, σὺ δέ μοι θαλερὸς παρακοίτης. — *curarum requies,* ut Ov. Ex Pont. III. 3, 7: «Publica me requies curarum somnus habebat» et Trist.

IV. 10, 117. ad Musam: «Tu curæ requies, tu medicina venis». — *in solis . . . locis,* desertis, ut supra I. 2, 72: «in solo monte»; cf. adn. ad h. l. et Ter. Andr. 406: «Venit meditatus alicunde ex solo loco». — *tu mihi turba,* ut Martial. XII. 21, 9—10: «Tu desiderium dominæ mihi mitius urbis Esse iubes: Romam tu mihi sola facis».

V. 13—16. *e cælo mittatur amica,* dea quædam, ut Apul. Met. II. p. 23: «licet illa cælo deiecta, mari edita, fluctibus educata, licet inquam Venus ipsa fuerit, placere non poterit nec Vulcano suo»; aliud significat supra I. 3, 90: «cælo missus»; cf. adn. ad h. l. — *deficietque Venus,* deseret me Venus, non potero Venere frui; cf. supra I. 5, 40: «deseruitque Venus» et adn. ad h. l. — *Hoc tibi sancta tuæ Iunonis numina iuro,* ut Prop. II. 5, 17. ad Cynthiam: «At tu, per dominæ Iunonis dulcia iura». — *tuæ Iunonis,* cf. adn. supra ad IV. 6, 1: «Natalis Iuno» et ad IV. 5, 8: «Perque tuos oculos per Geniumque». — *numina iuro,* i. e. per numina; cf. Verg. Aen. XIII. 197: «Hæc eadem, Aenea, terram, mare, sidera iuro» et Serv. adn. ad h. l.: «et ornatior locutio et crebra apud maiores, quam si velis addere: iuro per maria, per terras». Præpositio omittitur etiam in prosa oratione, ut Cic. Fam. VIII. 12, 2: «quo modo autem tibi placebit Iovem Lapidem iurare?» — *est mihi magna,* cf. adn. supra ad IV. 5, 9: «Magne Geni».

V. 17—20. *mea pignora,* sc. pignora fidei et amoris tui hoc iuramento amitto, nam, si non timebis, ne te deseram, crudelis eris in me. — *proderat iste timor,* sc. timor puellæ, ne a poeta deseratur; cf. Prop. II. 14, 19—20: «Hoc sensi prodesse magis: contemnite, amantes; Sic hodie veniet, si qua negavit heri». — *fortis eris,* nihil timens. — *ures,* ut domini crudeles servos pœnæ causa urere solent; cf. adn. supra ad I. 9, 21: «Ure meum potius flamma caput».

V. 21—24. *Nec fugiam notæ servitium dominæ,* ut Prop. I. 4, 3—4: «Quid me non pateris, vitæ quodcumque sequetur, Hoc magis assueto ducere servitio». — *Veneris sanctæ considam vinctus ad aras,* ut servi a dominis male habiti confugere solent ad aras deorum; cf. supra II. 6, 32: «Illius ad tumulum fugiam supplexque sedebo» et adn. ad h. l.; Ov. Trist. V. 2, 43—44: «ipse sacram quamvis invisus ad aram Confugiam»; Eurip. Suppl. 207: ἔχει γὰρ καταφυγὴν θὴρ μὲν πέτραν, δοῦλος δὲ βωμοὺς θεῶν; Liv. XXVII. 17: «ad deos quoque confugere supplices, qui nequeant hominum vim atque iniurias pati». — *vinctus,* ut servus compede vinctus; cogitandum de vinculis amoris, ut I. 1, 55: «Me retinent vinctum formosæ vincla puellæ». — *notat iniustos,* pœna ignominiosa afficit; cf. supra I. 8, 28: «Persequitur pœnis tristia facta Venus». — *supplicibusque favet,* ut supra I. 4, 71—72. de Venere: «querelis Supplicibus, miseris fletibus illa favet».

II.

Lib. IV. eleg. 14.

Introductio. Queritur poeta de rumore acerbo, qui infidelitatis crimine accuset puellam suam.

V. 1—4. *Rumor ait crebro nostram peccare puellam,* cf. Prop. II. 32, 23—24: «Nuper enim de te nostras (me lædit) ad aures Rumor et in tota non bonus urbe fuit». — *peccare,* de infidelitate amantium, ut supra I. 6, 71: «Et si quid peccasse putet» et II. 4, 5: «Et seu quid merui, seu nil peccavimus, urit». Cf. Ov. Am. III. 14, 1: «Non ego, ne pecces, cum sis formosa, recuso». — *surdis auribus esse*

velim, cf. Prop. II. 20, 13: «De te quodcumque ad surdas mihi dicitur aures». — *Crimina,* criminationes; *facta,* ut «crimen facere sibi» apud Cic. Flacc. 14. et Prop. IV. 4, 43: «Quantum ego sum Ausoniis crimen factura puellis». — *Quid miserum torques,* ut supra II. 6, 17: «Tu miserum torques».

ADNOTATIONES CRITICÆ.

ADNOTATIONES CRITICÆ.

In verbis Tibulli constituendis secuti sumus optimos codices, Ambrosianum et Vaticanum; præterea diligentissime examinavimus lectiones fragmenti Cuiaciani, florilegii Parisini et excerptorum Frisingensium. In adnotationibus exscripsimus locos omnes, ubi ab Ambrosiano discedendum putavimus.

Notis codicum usi sumus hisce:

A = codex Ambrosianus R. 26. sup. sæculo XIV. exeunte scriptus.

V = codex Vaticanus 3270. ab aliis sæculo XIV. exeunti, ab aliis XV. ineunti assignatus.

F = fragmentum codicis vetusti, olim in possessione Iacobi Cuiacii, nunc deperditum, cuius lectiones Scaliger transtulit in exemplar editionis Plantinianæ (a. 1569.), quod nunc in bibliotheca Leidensi inter libros Lipsianos (n. 59.) servatur.

P = florilegium Parisinum, quod in duobus codicibus Parisinis, 7647. (sæc. XII/XIII.) et 17903. (sæc. XIII.) exstat.

M = excerpta Frisingensia in codice olim Frisingensi, nunc Monacensi 6292. sæc. XI.

G = codex Guelferbytanus sæc. XV.

D = codices deteriores.

I. Marathus.

I. 4. — 8. *sic:* D; *sit:* A. — 29. *deperdit:* P; *te perdit:* A. — 30. *alba:* D; *alta:* AP. — 36. *ullam:* G; *illam:* A. — 40. *cedas:* D; *credas:* A. *vincit:* D; *vincet:* A. — 44. *portendat pluvias:* ego conieci; *venturam annutiat:* V; *venturam amiciat:* A. *aquas:* scripsi; *aquam:* A. Erat in archetypo *venturam annuntiat,* quod metrum non admittit, quare viri docti censuerunt *annuntiat* esse glossema, quod genuinæ lectionis locum occupavisset; sed hoc loco pentametri non potuit stare tert. pers. sing. verbi, quia ultima syllaba huius formæ brevis est. Ego suspicor fuisse olim in codicibus glossema *ventura annuntiat* primamque partem pentametri totam occupasse; initio versus stetit verisimiliter *portendat,* ut glossaria docent; cf. Corp. Glossar. Lat. (ed. Gœtz) IV. p. 378, 28: «Portendit = ventura significat; ibid. V. p. 474, 34: «Portendit = futura nuntiat.» Adiectivum, quod desideratur, restitui ex Plinio et Propertio, qui hunc Tibulli versum ante oculos habuisse videntur; cf. Plin. N. H. II. 150: «Arcuus vocamus extra miraculum frequentes et extra ostentum, nam ne *pluvios* quidem aut serenos dies cum fide *portendunt»;* Prop. III. 5, 32: «Purpureus *pluvias* cur bibit arcus *aquas.»* — 48. *atteruisse:* G; *atterruisse:* A. — 53. *tum:* D; *tunc:* A. — 55. *mox:* V; *post:* A. *offeret:* D; *afferet:* A. — 56. *volet:* V; *velit:* A. — 59. *at:* D; *iam:* A. — 72. *fletibus:* D; *flentibus:* A. — 80. *deducat:* D; *diducat:* A. — 81. *heu heu:* V; *he heu:* A.

I. 8. — 1. *celari:* D; *celare:* A. — 2. *lenia:* V; *levia:* A. — 11. *genas:* D; *comas:* AP. — 14. *colligat:* P; *colligit:* V; *colligat* in rasura mutatum in *colligit:* A. — 30. *foveas:* D; *foveat:* A. — 35. *inveniet:* D; *invenit:* A. — 36. *tumet:* D; *timet:* A. — 49. *neu:* G; *seu:* A. — 51. *son-*

tica: M; *sentita:* V; *sontica* corr. (m. sec.?) ex *sentita:* A. — 52. *luto:* D; *luteo:* A. — 57. *lenis:* G; *levis:* A. — 61. *prosunt:* G; *possunt:* A.

I. 9. — 9. *petituras:* P; *petituros:* A. — 23. *celandi spes:* P; *celanti fas:* A. — 24. *est:* P; *sit:* A; *vetat:* P; *vetet:* A. — 25. *læve:* ego conieci; *sæpe:* D; *lena:* deteriores codices nonnulli; *leve:* A. Cf. supra adn. exeg. ad h. l. — 31. *nullo te:* G; *nullo tibi:* A. — 35. *eriperes:* G; *eriperet:* A. — 36. *rubras:* coniecit Postgate; *puras:* libri omnes. Codicum lectio sensu caret; cf. supra adn. exeg. ad h. l. *fulminis:* G; *fluminis:* A. — 40. *sed precor:* codices nonnulli deteriores; *sit precor:* A. *sit levis:* deteriores nonnulli; *sed levis:* A. — 44. *et:* D; *sed:* A. *clausas:* G; *clausos:* A. — 68. *pectere:* G; *pectore:* A. — 69. *istane:* coniecit Postgate; *ista hæc:* G; *ista:* A. Cf. supra initio versus 67: *tune.* — 73. *nec:* G; *hec:* A. — 75. *huic:* D; *hunc:* A. — 81. *tum:* D; *dum:* A. — 82. *parma:* coniecit Scaliger; *palma:* A. Recepi Scaligeri emendationem, quia agitur de clipeo parvo; cf. supra adn. exeg. ad h. l.

II. Detestatio belli.

I. 10. — 10. *sparsas:* D; *varias:* A. Hoc loco *varias* est glossema ex Placidi glossario petitum, quod genuinæ lectionis locum occupavit; cf. Corp. Glossar. Lat. (ed. Gœtz) Placid. V. p. 99, 20 = V. p. 152, 9: «Sparsas oves: quasi varias.» Placidus intellegit oves maculis sparsas, i. e. varii coloris; sed agitur de ovibus dispersis, ut supra in adn. exeg. ad h. l. docuimus. — 11. *dulcis:* D; *vulgi:* A. Recepi lectionem codicum deteriorum, quia desideratur prædicatum sententiæ; idem suadet antithesis poetica: «Tunc mihi vita

foret *dulcis* nec *tristia* nossem»; ceterum cf. etiam adn. exeg. ad h. l. — 18. *veteris:* D; *veteres:* A. — 23. *ipse:* D; *ipsa:* A. — 30. *adversos:* G; *adverso:* A. — 36. *turpis:* D; *puppis:* AP. — 37. *perfossisque:* ego conieci; *perscissisque:* P; *percussisque:* A. Meæ coniecturæ favet Ov. Ex. Pont. II. 8, 66: «Et patiar *fossis* lumen abire genis.» Origo corruptelæ: ex *perfossis* propter similitudinem litterarum *f* et *s, o* et *ci* in scriptura minuscula factum est *perscissis;* cf. adn. crit. infra ad IV. 2, 23. — 39. *quam:* P; *quin:* A. — 46. *panda:* P; *curva:* A. — 49. *bidens vomerque:* P; *nitens vomer:* A. *nitent:* emendavit Guyetus; *nitet:* P; *viderit:* A. — 51. *ipse:* D; *ipso:* A. — 55. *obtusa:* ego conieci; *subtusa:* libri omnes. Adiectivum *subtusa* nusquam alibi occurrit neque, quid hoc loco significare possit, scimus; lexicographi explicant: «paulum tusa», sed hoc minime aptum efficit sensum, cum vs. sq. legatur: «dementes *tam valuisse* manus.» Coniecturam meam commendant loci paralleli supra in adn. exeg. ad h. l. allati. Origo corruptelæ est dittographia: teneras obtusa — teneras sobtusa. — 60. *deripit:* D; *diripit:* A. — 61. *rescindere:* D; *perscindere:* A. — 69. *profluat:* coniecit Vossius; *perfluat:* D; *prefluat:* A. Editores vulgo lectionem codicum deteriorum recipiunt, sed talis usus verbi *perfluat* nusquam occurrit. Ceterum cf. adn. exeg. ad h. l.

III. Delia.

I. 3. — 7. *reddat:* ego conieci; *dedat:* libri. Non potest Latine dici: dedere alicui munus, odores, honores, sacrificium; ceterum cf. adn. exeg. ad h. l. — 14. *quin:* D; *cum:* A. *despueretque:* coniecit Haupt; *respueretque:* D;

respiceretque: A. Recepi coniecturam Hauptii, quæ optime convenit Deliæ superstitiosæ, sortes consulenti. Origo corruptelæ; pro *despueret* scriptum est *despiceret*, quo non intellecto librarii coniecerunt: *respiceret*. — 18. *Saturnive:* ex vetere coniectura; *Saturni aut:* D; *Saturni:* A. — 21. *ne quis:* D; *neu quis:* A. — 22. *sciet:* coniecit Dœring; *sciat:* libri omnes. Probabilis est Dœringii coniectura; est enim sententia talis fere: «Nemo audeat invito Amore discedere, aut, si tamen audebit, damno suo doctus sciet se prohibente deo egressum esse.» — 25. *dum:* G; *deum:* A. — 37. *conscenderat:* D; *contempserat:* A. Præferendam esse codicum deteriorum lectionem docent loci paralleli supra in adn. exeg. allati. — 38. *ventis:* G; *veteris:* A. — 50. *repente* rasura mutatum in *reperte:* A; sed optima est prima lectio, ut supra in adn. exeg. ad h. l. docuimus. — 69. *Tisiphone:* D; *Tesiphone:* A. — 86. *colu:* M; *colo:* AP. — 87. *at:* P; *ac:* A. — 91. *tunc:* G; *nunc:* A.

I. 1. — 2. *multa:* PM Diomed. p. 484 Keil; *magna:* A. — 5. *vita:* PM; *vite:* A. — 14. *deo:* D; *deum:* A. — 24. *clamet:* G; *clamat:* A. — 25. *hic modo iam possim:* ego conieci; *quippe ego iam possum:* P; *iam modo iam possim:* M; *iam modo non possum:* A. Veram esse meam coniecturam docet infra vs. 35: «*Hic* (sc. in agro meo) ego pastoremque meum lustrare quotannis», ubi interpretes huc usque adverbium *hic* non potuerunt explicare, quia excidit præcedens *hic* vs. 25. Cf. adn. exeg. ad h. l. — 29. *bidentem:* P; *bidentes:* V; *ludentes:* A. — 37. *nec:* P; *neu:* A. *e:* P; *et:* A. — 43. *satis est tuto:* ego conieci; *satis est uno:* P; *satis est, satis est:* A. Origo corruptelæ est haplographia: est tuto — est uto — est uno. In archetypo Ambrosiani certe fuit lacuna, quam librarii suppleverunt bis ponendo *satis est*. Ceterum cf. supra adn. exeg. ad

20*

h. l. — 44. *si licet:* D; *scilicet:* AP. — 48. *imbre:* P; *igne:* A. — 49. *sit:* P; *si:* A. — 54. *hostiles:* G; *exiles:* A. — 59. et 60. *te:* D; *et:* A. — 63. *duro:* G; *dura:* A. — 64. *vincta:* M; *iuncta:* A. — 71. *nec:* MP; *neque:* A. — 78. *despiciam dites:* P; *dites despiciam:* A.

I. 5. — 3. *turben:* Charisius p. 145, 8. Keil; *turbo:* A. — 7. *per te:* G; *parce:* A. — 16. *Triviæ:* D; *creme:* A. — 28. *segete:* G; *segete et:* A. — 30. *at iuvet:* D; *adiuvet:* A. — 33. *tunc:* D; *hunc:* A. Lectionem codicis Ambrosiani metrum non admittit; ceterum cf. adn. exeg. ad h. l. — 34. *tunc:* D; *huic:* A. Postquam *tunc* in versu præcedenti recepimus, etiam hoc loco lectio codicum deteriorum recipienda fuit. — 42. *a:* coniecit Lucianus Mueller; *et:* A. *meam:* emendavit Nodell; *mea:* A. — 45. *Nereis:* D; *Nereis que:* A. — 61. *semper tibi:* emendavit Muretus; *semper te:* P; *tibi presto:* A. — 67. *victa:* G; *vincta:* A. — 69. *fata:* D; *furta:* A. — 74. *usque:* G; *ipse:* A. — 76. *nat:* G; *nam:* A.

I. 2. — 7. *dominae:* D; *domini:* A. — 19. *molli furtim derepere:* M; *furtim molli decedere:* A. — 23. *docet:* D; *decet:* A. — 35. in. *neu:* V; *ne:* A. — 40. *rabido:* D; *rapido:* AM. — 58. *ille:* D; *ipse:* A. — 65. *posset:* G; *possit:* A. — 72. *solo:* coniecit Scaliger; *solito:* libri omnes. Coniecturam Scaligeri confirmat Propertii imitatio supra in adn. exeg. ad h. l. allata. — 74. *in dura:* ego conieci; *inculta:* libri omnes. Codicum lectio defendi non potest, nam somnus ne in culta quidem humo iucundus est. Quod interpretes afferre solent, Prop. I. 18, 28: «Et datur *inculto* tramite dura quies», non huc pertinet, nam *inculto* apud Propertium significat: ab hominibus deserto. Origo corruptelæ: indura — inclura — incluta — inculta. — 82. *deripuisse:* D; *diripuisse:* A. — 88. *uni:* D; *unus:* A.

I. 6. — 7. *iurata:* coniecit Heyne; *tam multa:* A. Recipiendam esse Heynii coniecturam docet Ovidii locus supra in adn. exeg. ad h. l. allatus. — 11. *tunc:* D; *nunc:* A — 18. *laxo:* D; *lasso:* A. — 40. *et fluit:* D; *effluit:* A. — 42. *se occulat:* coniecit Rabus; *stet procul:* A. Origo corruptelæ: *at* in *occulat* per haplographiam omissum est propter sequens *ante.* — 45. *motu:* G; *mota:* A. — 46. *amens:* D; *et amans:* A. — 47. *violenta:* codices nonnulli deteriores; *violata:* A. — 67. *vitta:* D; *victa:* A. — 70. *possim:* G; *possum:* A. — 71. *putet:* D; *putat:* A. *ducarque:* D; *ducorque:* A. — 72. *Immerito in medias:* coniecit Rothstein; *immerito properans:* G; *immerito pronas:* D; *immerito proprias:* A. *proripiarque:* D; *proripiorque:* A. Origo corruptelæ: omissum est *in medias* post *immerito* propter similitudinem scripturæ, deinde bis scriptum est *proripiar.* — 84. *quam:* D; *quod:* A.

IV. In natalem Messallæ.

I. 7. — 6. *evinctos:* G; *vinctos:* A. — 8. *niveis:* D; *nitidis:* A. — 9. *Tarbella:* emendavit Scaliger; *tua bella:* A. — 10. *Santhonici:* V; *Sanctonici:* A. — 12. *Carnutis:* M; *Carnoti:* A. — 13. *an:* D; *at:* A. *tractis:* ego conieci; *tacitis:* libri omnes. Codicum lectio defendi non potest, quia *tacitis undis* et vs. 14. *placidis aquis* pleonasmum efficiunt intolerabilem; cf. supra adn. exeg. ad h. l. — 16. *alat:* D; *arat:* A. — 17. *celebres:* commendavit Postgate; *crebras:* libri omnes. Sed quid ad rem crebras (i. e. multas) esse in Palæstina urbes? — 36. *insuetis:* ego conieci; *incultis:* libri omnes. Codicum lectio explicari non potest; mea coniectura optime convenit adiectivis *inex-*

pertæ (vs. 31.), *non notis* (vs. 32.) et *nescia* (vs. 38.) Origo corruptelæ: insuetis — insultis — incultis. Ceterum cf. supra adn. exeg. ad h. l. — 40. *lætitiæ:* ex vetere coniectura; *tristitiæ:* libri omnes. Spernenda est codicum lectio, quia *dissolvere* cum ablativo aut genitivo ablativi locum obtinente iungi non potest. Ceterum cf. supra adn. exeg. ad h. l. — 42. *compede:* D; *cuspide:* A. — 49. *ludis:* D; *ludos:* A. — 54. *melle:* G; *mella:* A. — 57. *nec:* V; *ne:* A. *quem:* D; *que:* A. — 61. *e magna:* D; *magna:* A.

V. Ambarvalia.

II. 1. — 1. *faveat:* D; *valeat:* A. — 9. *sint:* G; *sunt:* AP. — 34. *avis:* D; *ades:* A. — 38. *glande:* P; *grande:* A. — 45. *aurea:* P; *antea:* A. — 49. *ingerit:* P; *ingerat:* A. — 50. *ut:* P; *et:* A. — 54. *diceret:* G; *duceret:* A. — 58. *parvas:* recepit Postgate; *curtas:* coniecit Waardenburg; *yrcus:* A. In archetypo stetit *hircus,* glossema ad præcedens *dux pecoris,* quod genuinæ lectionis locum occupavit; cf. adn. exeg. ad h. l. — 65. *adsiduæ:* D; *adsiduam:* A. *Minervæ:* D; *Minervam:* A. — 66. *applauso:* D; *appulso:* A. — 73. *opes:* D; *opus:* A. — 88. *choro:* G; *thoro:* A. — 89. *furvis:* G; *fulvis:* AP.

VI. Sulpiciæ elegidia.

IV. 8. — 6. *non:* D; *neu:* A.

IV. 9. — 2. *iam licet:* F; *non sinet:* A. *tuae:* D; *tuo:* AF.

IV. 10. — 1. *tibi:* D; *mihi:* A. — 6. *ne:* D; *nec:* A. *cedam:* D; *credam:* A.

IV. 11. — 1. *pia cura:* D; *placitura:* A. — 5. *at:* F; *ah:* V; *ha:* A. *si:* D; *quid:* A. — 6. *lento:* F; *lecto:* V; *leto:* A.

IV. 7. — 1. Hic versus in A bis scriptus est; priore loco *pudori* legitur, posteriore *pudore.* — 2. *Fama:* scripsi; *fama:* editiones omnes. Interpunctione mutata sensum loci restituere conatus sum; cf. adn. exeg. ad h. l. — 6. *sua:* F; *suam:* A. — 8. *ne:* D; *me:* A. *nemo:* D; *venio:* A.

VII. Tibulli elegidia de amore Sulpiciæ.

IV. 2. — 14. *habet:* D; *hunc:* A. — 23. *huic fumet:* ego conieci; *hoc fumet:* D; *hæc sumet:* F; *hoc sumet:* A. Lectio codicum optimorum defendi non potest, quia *sacrum sumere* pro *s. celebrare* non est Latine dictum. Origo corruptelæ: primum pro *fumet* scriptum est *sumet* (ut infra IV. 6, 14. in A *sic* pro *fit* et IV. 13, 23. in eodem codice *confidam* pro *considam*), deinde pro dativo *huic* non intellecto in F *haec* (i. e. Sulpicia), in A *hoc* (i. e. sacrum) scriptum est ex coniectura. — 24. *choro:* D; *thoro:* A.

IV. 3. — 3. *proelia:* F; *pectore:* A. — 18. *ne:* G; *da:* A.

IV. 4. — 6. *languida:* coniecit Rigler; *candida:* D; *pallida:* A. Codicis A lectio orta est ex præcedente (vs. 5.) *pallentes;* lectio codicum deteriorum propter *pallentes artus* (vs. 5.) non videtur esse recipienda. Coniecturam Rigleri commendant loci paralleli supra in adn. exeg. ad h. l. allati. — 8. *rapidis:* V; *rabidis:* A. — 17. *at:* V; *ac:* A.

IV. 5. — 1. *qui mihi:* F; *est qui:* A. — 4. *dederunt:* D; *dederant:* A. — 9. *magne:* D; *mane:* A. — 10. *calet:* D; *volet:* F; *valet:* A. — 16. *nos:* G; in A rasura trium fere

litterarum. — 17. *tectius:* D; *tutius:* A. — 18. *hæc:* G; *hic:* A. — 20. *clamne palamne:* D; *clam ve palam ve:* A.

IV. 6. — 3. *lota:* D; *tota:* A. — 5. *ornandi:* D; *orandi:* A. — 7. *ne quis:* coniecit Scaliger; *neu quis:* F; *ne nos:* A. — 13. *purpureaque:* D; *purpurea:* A. — 14. *fit:* D; *sic:* A. — 15. *optet:* D; *optat:* A. — 19. *sis:* F; *si:* A. *Iuno:* coniecit Gruppe; *iuveni:* A. In fine carminis, sicut initio, aptissima est Iunonis invocatio; cf. I. 7, 1: «Hunc cecinere diem» et 63: «At tu, natalis»; II. 2, 1: «venit Natalis» et 21: «Hac veniat Natalis avi»; II. 5, 1: «Phœbe, fave» et 121: «Adnue... Phœbe.» *ut veniet:* coniecit Eberz; *et veniet:* D; *veniet:* A. Origo corruptelæ: *ut* ante *veniet* propter similitudinem scripturæ omissum est. — 20. *adsit:* D; *esset:* A.

VIII. In natalem Cornuti.

II. 2. — 5. *adsit Genius:* D; *Genius adsit:* A. Metri ratio lectioni codicum deteriorum favet; ordo verborum turbatus est in A etiam infra II. 6, 49: *mihi promissa est* pro *promissa mihi est.* — 7. *destillent:* D; *distillent:* A. — 15. *Indis:* P; *undis:* A. — 21. *hac:* coniecit Heinsius; *hic:* A. *avi:* coniecit Heinsius; *avis:* A.

IX. Nemesis.

II. 4. — 1. *hic:* D; *sic:* A. — 2. *paterna:* G; *paterve:* A. — 4. *remittit:* D; *remittet:* A. *amor:* scripsi; *Amor:* editiones omnes. Ut vs. 6. docemur, non deus Amor, sed puella ipsa urit poetam; cf. supra adn. exeg. ad h. l. — 5.

nil: coniecit Heinsius; *quid:* A. — 10. *vitrei:* V et manu secunda A; *vasti:* D. Sed *vitrei* est epitheton aptissimum maris; cf. supra adn. exeg. ad h. l. — 12. *nunc:* P; *nam:* A. — 17. *et qualis:* D; *equalis:* A. — 31. *clavim:* Charisius p. 126, 4. Keil; *clavem:* A. — 33. *victa:* G; *incerta:* A. — 36. *ille:* G; *ipse:* A. — 38. *nunc:* coniecit Broukhusius; *sic:* coniecit Heinsius; *hic:* A. — 40. *partas:* G; *portas:* A. — 44. *exsequias:* G; *obsequias:* A. — 59. *modo:* G; *non:* A.

II. 6. — 16. *si licet:* D *scilicet:* A. — 32. *feram:* G; *ferant:* A. — 45. *necat:* D; *vetat:* A. *Phryne:* D; *recipi:* deteriores nonnulli; *Phirne:* A, unde in inscriptione carminis exstant verba: «Detestatur lenam, cui nomen erat *Phyrne.* — 46. *itque:* G; *tuncque:* A. — 47. *duro:* D; *diro:* A. — 49. *promissa mihi est:* G; *mihi promissa est:* A, quod metrum non admittit. — 53. *vives:* coniecit Huschke; *vivas:* libri omnes. Coniecturam Huschkii commendat locus Tibulli supra in adn. exeg. ad h. l. allatus.

II. 3. — 10. *pussula:* M; *pustula:* A. — 11. *Admeti:* G; *armenti:* A. — 14c. *mulctris:* coniecit Rigler; *mixtus:* A. Cum ad lac cogendum duo vasa sint necessaria, mulctra et fiscella, ante fiscellam vs. 15. commemoratam aptissima est hoc loco mulctræ mentio. Cf. supra adn. exeg. ad h. l. — 27. *Pytho:* D; *phito:* A. — 33. *es:* V; *est:* A. — 34. *imperat in:* D; *imperitat:* deteriores nonnulli; *imperat ut:* A. — 41. *obsidere:* P; *obsistere:* A. — 42. *ut:* P; *et:* A. — 43. *tumultus:* D; *tumultu:* V *tumulti:* A. — 47. *mihi:* P; *tibi:* A. — 53. *gerat:* D; *gerit:* A. — 59. *loquor:* D; *liquor:* A. *iste:* coniecit Heyne; *ille:* coniecit Guyetus; *ipse:* A. *quem:* G; *que:* A. — 60. *gipsatos:* M; *bipsatos:* A. — 61. *Nemesim:* G; *Nemesis:* A. *quæ:* D; *qui:* A. — 78. *iuvat:* V; *iuvet:* A.

X. In honorem Messalini quindecimviri.

II. 5. — 11. *deditus :* D; *debitus :* A. — 18. *quid :* D; *quos :* A. — 20. *raptos :* D; *captos :* A. — 34. *pulsa :* D; *pulla :* A. — 35. *illa :* G; *illaque :* A. *diti :* D; *ditis :* A. — 49. *castrum :* D; *castris :* A. — 53. *vittasque :* D; *victasque :* A. — 62. *longa c. via :* D; *longam c. viam :* A. — 64. *vescar :* D; *noscar :* A. — 69. *quasque :* D; *quodque :* A. *Aniena :* D; *Albana :* A. *Tiburs :* D; *Tiberis :* A. — 70. *pertuleritque :* G; *perlueritque :* A. — 71. *hac :* D; *hec :* A. — 72. *ut :* D; *et :* A. *deplueretque :* D; *deplueritque :* A. — 81. *crepitat :* deteriores nonnulli; *crepitet :* A. — 92. *comprensis :* D; *compressis :* A. — 95. *operata :* G; *operta :* A. — 99. *extruet :* D; *extruat :* A. — 109. *iaceo :* D; *taceo :* A. — 116. *feret :* G; *ferent :* A.

XI. De amica innominata.

IV. 13. — 3. *mihi :* D; *modo :* A. — 8. *ille :* D; *ipse :* A. — 16. *mihi :* F?; *tibi :* A. — 17. *cedo :* F; *credo :* A. — 18. *proderat :* F; *prodeat :* A. — 23. *considam :* D; *confidam :* A. — 24. *hæc :* G; *nec :* A.

IV. 14. — 3. *facta :* A, quod codices deteriores in *iacta* mutant sine causa.

EXCURSUS.

EXCURSUS.

I. De elegiis Maratho sacratis.

Elegiæ Maratho sacratæ inter omnia Tibulli carmina minimi sunt æstimanda, quare in iis prima poeseos Tibullianæ rudimenta agnoscere mihi videor. Elegia *quarta* (I. 4.) est certe imitatio poeseos Priapeæ Alexandrinæ continetque syllogen locorum communium apud scriptores eroticos iam pridem tritorum, *octava* (I. 8.) autem et *nona* (I. 9.) sunt quasi echo Μούσης παιδικῆς Alexandrinorum. Præterea in elegia octava argumentum ipsum turpissimum est: poeta amat Marathum, puerum pulchrum, hic autem Pholoen, puellam pulchram deperit et poeta pueri causam apud puellam agit; elegia autem nona (vss. 53—76.) scatet rebus obscenissimis. Novam ingreditur Tibullus viam inde ab elegia *decima:* nunc primum suus esse incipit dulcissimosque sensus amatorios iucunde miscet laude vitæ rusticæ. Ex hoc tempore carmina scribit omnibus numeris absoluta (I. 10; I. 3. 1, 5. 2, 6; I. 7; II. 1.) ingenioque suo maxime propria, inter quæ nullum habere possunt locum tales ineptiæ, quales I. 4, 8, 9. continentur.

Ne id quidem minimi est momenti. quod Tibullus, postquam in bello Aquitanico Messallæ amicitiam sibi conciliavit, adeo deditus fuit viro illi præstantissimo, ut totam fere poesin suam ei sacraverit. Eum alloquitur initio elegiæ *tertiæ* (vss. 1—2.):

Ibitis Aegæas sine me, Messalla, per undas,
O utinam memores ipse cohorsque mei;

elegiam *primam* eo potissimum consilio scripsit, ut Messallæ, cur eum in bello orientali non esset secutus, se excusaret (vss. 53—56.):

Te bellare decet terra, Messalla, marique,
Ut domus hostiles præferat exuvias:
Me retinent vinctum formosæ vincla puellæ
Et sedeo duras ianitor ante fores;

in *quinta* sperat se Messallam in prædio suo hospitem excepturum (vss. 31—32.):

Huc veniet Messalla meus, cui dulcia poma
Delia selectis detrahat arboribus;

in *secunda* alludit ad bellum Messallæ in Cilicia (vss. 67—68.):

Ille licet Cilicum victas agat ante catervas,
Ponat et in capto Martia castra solo.

Septima denique, ubi amico natalem agenti gratulatur, tota laudes Messallæ continet. Cum igitur in elegiis de Maratho scriptis Messallæ nomen nusquam occurrat nullaque sit belli Aquitanici et expeditionis orientalis mentio, eas ante bella illa scriptas esse iure suspiceris.

Quod ad temporum ordinem, quo hæ elegiæ scriptæ sunt, attinet, antiquissima est procul dubio *quarta.* Poeta enim consulit Priapum, qua arte pueros pulchros capere possit; deus explicat totam artem amandi et Tibullus iam magistrum amoris celebrem se fore sperat, sed mox sentit ne sibi quidem se opem ferre posse, cum crudelitate Marathi torqueatur (vss. 81—84.):

Heu heu quam Marathus lento me torquet amore!
  Deficiunt artes deficiuntque doli.
Parce, puer, quæso, ne turpis fabula fiam,
  Cum mea ridebunt vana magisteria.

Aliter in elegia *octava:* poeta iam conciliavit sibi animum Marathi, qui crudelis esse desierat (vss. 71—72.):

Hic Marathus quondam miseros ludebat amantes,
  Nescius ultorem post caput esse deum.

Elegiam octavam sequitur *nona.* In octava enim Marathus amat Pholoen, sed puellam capere non potest; contra in nona puella Tibullo suadente iam exaudivit puerum, quare poeta iure potest Marathum ingrati animi nota afficere (vss. 39—44.):

Quid faciam, nisi et ipse fores in amore puellæ?
  Sed precor exemplo sit levis illa tuo.
O quotiens, verbis ne quisquam conscius esset,
  Ipse comes multa lumina nocte tuli!
Sæpe insperanti venit tibi munere nostro
  Et latuit clausas post adoperta fores.

Puella hoc loco commemorata est certe eadem Pholoe, cuius amore Marathum deperire videmus in elegia octava.

II. De bellis Messallæ.

Messallam ad Actium pugnasse et bellum Aquitanicum post pugnam Actiacam ab eo gestum esse testatur Appian. Bell. Civ. IV. 38. Eundem post pugnam Actiacam etiam in Syria exercitum duxisse legimus apud Dio. Cass. LI. 7. Provincias orientales, ubi Messalla res gessit memorabiles, enumerat Tibullus I. 7, 13—22:

An te, Cydne canam, tractis qui leniter undis
  Cæruleus placidis per vada serpis aquis,
Quantus et ætherio contingens vertice nubes
  Frigidus intonsos Taurus alat Cilicas?
Quid referam, ut volitet celebres intacta per urbes
  Alba Palæstino sancta columba Syro,
Utque maris vastum prospectet turribus æquor
  Prima ratem ventis credere docta Tyros,
Qualis et, arentes cum findit Sirius agros,
  Fertilis æstiva Nilus abundet aqua?

Unde Messallam in Cilicia, Syria, Phœnicia et Aegypto fuisse apparet.

Tibullum bello Aquitanico comitem Messallæ fuisse docet brevis *Vita Tibulli* in codicibus elegiarum servata: «Albius Tibullus... ante alios Corvinum Messallam oratorem dilexit, cuius etiam contubernalis Aquitanico bello militaribus donis donatus est.» Poeta ipse se in Gallia cum Messalla fuisse narrat I. 7, 9—12:

Non sine me est tibi partus honos: Tarbella Pyrene
  Testis et Oceani littora Santonici,
Testis Arar Rhodanusque celer magnusque Garunna
  Carnutis et flavi cærula lympha Liger.

Tibullum etiam ad expeditionem orientalem Messallam sequi voluisse docemur propriis poetæ verbis (I. 3, 1—3.):

Ibitis Aegæas sine me, Messalla, per undas,
  O utinam memores ipse cohorsque mei:
Me tenet ignotis ægrum Phæacia terris.

Messalla igitur per mare Aegæum navigavit in Orientem, Tibullus autem ægrotus remansit in insula Corcyra.

Quod ad ordinem temporum, quo bella Messallæ gesta

sunt, attinet, maximi momenti est Appiani testimonium Bell. Civ. IV. 38: (ὁ Καῖσαρ) περὶ Ἄκτιον ναυαρχήσαντα αὐτὸν κατὰ τοῦ Ἀντωνίου στρατηγὸν ἔπεμψεν ἐπὶ Κελτοὺς ἀφισταμένους, unde Messallam post pugnam Actiacam statim ad bellum Aquitanicum profectum esse elucet, quare expeditionem orientalem post bellum Aquitanicum ponendam esse iure suspiceris. Idem testari videtur Tibullus ipse, qui I. 7. primum res Messallæ in Gallia gestas commemorat (vss. 9—12.), deinde enumerat provincias orientales (vss. 13—22.), quas Messalla pacavit.

Adde testimonium l. I. eleg. 3. Tibullus navem conscendit (verisimiliter Brundisii), ut ad expeditionem orientalem proficisceretur, sed inter navigandum gravi morbo correptus in Corcyra remansit, Messalla autem et socii per mare Aegæum sine eo navigarunt versus Orientem. Vss. 1—2:

Ibitis Aegæas sine me, Messalla, per undas,
O utinam memores ipse cohorsque mei,

docemur veterem iam fuisse inter Tibullum et Messallam cohortemque eius amicitiam: unde poetam in cohorte prætoria iam diutius meruisse et bello Aquitanico iam interfuisse conicias. Exsecratur deinde eum, qui diuturnas sibi militias optaverit (vss. 81—82.):

. . . quicumque meos violavit amores
Optavit *lentas* et mihi *militias*;

de militia autem diuturna certe non potuisset Tibullus hoc tempore loqui, nisi ante expeditionem orientalem, ad quam tunc iturus erat, bello cuidam diuturno interfuisset.

Poeta ex Corcyra reversus est Romam. Tum scripsit l. I. eleg. 1., ubi vss. 25—26:

Hic modo iam possim contentus vivere parvo
Nec *semper longæ* deditus esse *viæ,*

rursus bellum Aquitanicum respicere videtur; nam, si eo usque nihil aliud fecisset, nisi, quod Roma Brundisium et inde in Corcyram profectus est, certe non dixisset se semper longa itinera facere debere; contra plana fiunt omnia, si Tibullum bello Aquitanico iam interfuisse statuimus; hoc enim bello, ut I. 7, 9—12. docemur. maximam Galliæ partem una cum Messalla peragravit.

Verisimile est igitur Messallam post pugnam Actiacam die 2. Sept. a. 31. a. Chr. n. commissam statim in Galliam rebellantem profectum esse, ibi ab autumno anni 31. usque ad ver a. 30. mansisse, deinde iussu Octaviani in Orientem navigasse, æstate a. 30. auxilio fuisse Octaviano Aegyptum occupanti,* annis sequentibus Syriam, Phœniciam et Ciliciam pacasse, ordinatis demum mense Ianuario a. 27. ab Augusto provinciis Romam rediisse, ut de Aquitania triumpharet.

Ex iis igitur, quæ huc usque disputavimus, hæc fere de Tibulli vita et scriptis statuere licet:

2. Sept. a. 31. Pugna Actiaca.

Sept. a. 31. Messalla in Aquitaniam proficiscens cohorti prætoriæ ascribit Tibullum. Poeta scribit l. I. eleg. 10., ubi bellum exsecratur.

Ab autumno a. 31. usque ad ver a. 30. Bellum Aquitanicum.

Ver a. 30. Poeta Romam revertitur, ubi Delia eam frustra retinere temptat. Mox iter ingreditur in Græciam, ut Messallæ, qui in Aegyptum traiecturus in portu quodam maris

* Octavianus die 1. Aug. a. 30. cepit Alexandriam.

Aegæi eum exspectasse videtur,[1] rursus se adiungeret. Sed gravi morbo correptus in insula Corcyra remanere cogitur. Scribit l. I. eleg. 3.

30—27. Tibullus Romam ad Deliam revertitur[2] et, ut Messallæ se excusaret, scribit l. I. eleg. 1. Postea scribit elegias ceteras ad Deliam pertinentes hoc ordine: I. 5. 2, 6.[3]

25. Sept. a. 27. Triumphus Messallæ. Paulo post scribit I. 7. et librum primum edit.

III. De elegiis Deliæ sacratis.

Temporum ordinem, quo elegiæ Deliæ sacratæ scriptæ sunt, accurate definire possumus ex locis, ubi poeta alludit ad elegias ante scriptas. Antiquissima est *tertia*, ubi Tibullus narrat, quid fecerit Delia anxia, cum ipse ad bellum proficisceretur (I. 3, 13—14.):

> Cuncta dabant reditus: tamen est deterrita nunquam,
> Quin *fleret nostras* despueretque *vias*.

Hunc locum respicit in elegia *prima* (I. 1, 51—52.):

> O quantum est auri pereat potiusque smaragdi,
> Quam *fleat* ob *nostras* ulla puella *vias*.

Primam sequitur *quinta*, ubi Tibullus queritur de infidelitate Deliæ (I. 5, 19—30.):

> At mihi felicem vitam, si salva fuisses,
> Fingebam demens, sed renuente deo.

[1] Cf. supra adn. exeg. ad I. 3, 1.
[2] Cf. infra Excurs. IV.
[3] Cf. infra Excurs. III.

Rura colam frugumque aderit mea Delia custos,
  Area dum messes sole calente teret,
Aut mihi servabit *plenis in lintribus uvas*
  Pressaque veloci *candida musta* pede,
Consuescet numerare pecus, consuescet amantis
  Garrulus in dominæ ludere verna sinu.
Illa *deo* sciet *agricolæ* pro vitibus uvam,
  Pro segete *spicas*, pro grege ferre dapem.
Illa regat cunctos, illi sint omnia curæ:
  At iuvet in tota me nihil esse domo.

Hoc loco iterat ea, quæ in prima elegia dixit: se ruri vivere velle una cum Delia (I. 1, 7—16.):

Ipse seram teneras maturo tempore vites
  Rusticus et facili grandia poma manu:
Nec Spes destituat, sed frugum semper acervos
  Præbeat et *pleno pinguia musta lacu.*
Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
  Seu vetus in trivio florida serta lapis;
Et quodcumque mihi pomum novus educat annus,
  Libatum *agricolæ* ponitur ante *deo.*
Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
  Spicea, quæ templi pendeat ante fores.

Cf. ibid. (I. 1.) vss. 43—46:

Parva seges satis est, tuto requiescere lecto
  Si licet et solito membra levare tovo.
Quam iuvat immites ventos audire cubantem
  Et *dominam* tenero continuisse sinu;

adde (I. 1.) vss. 57—58:

Non ego laudari curo, mea *Delia*: tecum
  Dum modo sim, quæso, segnis inersque vocer.

Quintam sequitur *secunda*, ubi poeta in memoriam Deliæ revocat, quæ in quinta (I. 5, 19—30.) dixit: se etiam nunc maxime optare, ut una cum ea vitam rusticam agat (I. 2, 71—74.):

Ipse boves mea si tecum modo Delia possim
  Iungere et in solo pascere monte pecus:
Et te dum liceat teneris retinere lacertis,
  Mollis et in dura sit mihi somnus humo.

Secundam sequitur *sexta*. In secunda enim talia præcepta dat poeta Deliæ a coniuge custoditæ (I. 2, 15—22.):

Tu quoque ne timide custodes, Delia, falle.
  Audendum est: fortes adiuvat ipsa Venus.
Illa favet, seu quis iuvenis nova limina temptat,
  Seu reserat fixo dente puella fores:
Illa docet molli furtim derepere lecto,
  Illa pedem nullo ponere posse sono,
Illa viro coram nutus conferre loquaces
  Blandaque compositis abdere verba notis.

Delia his præceptis instructa postea non solum cum Tibullo, sed etiam cum aliis amatoribus fefellit coniugem. Nunc pœnitet poetam præceptorum suorum et ad ea alludens dicit in elegia sexta (I. 6, 9—20.):

Ipse miser docui, quo posset ludere pacto
  Custodes: heu heu nunc premor arte mea.
Fingere tum didicit causas, ut sola cubaret,
  Cardine tum tacito vertere posse fores:
Tum sucos herbasque dedi, quis livor abiret,
  Quem facit impresso mutua dente Venus.
At tu, fallacis coniunx incaute puellæ,
  Me quoque servato, peccet ut illa nihil.

Neu iuvenes celebret multo sermone, caveto,
  Neve cubet laxo pectus aperta sinu,
Neu te decipiat nutu digitoque liquorem
  Ne trahat et mensæ ducat in orbe notas.

IV. Num Tibullus secutus sit Messallam in Orientem proficiscentem?

Tibullus certe non interfuit expeditioni Messallæ orientali. *Vita* enim *Tibulli* in codicibus servata poetam bello Aquitanico contubernalem Messallæ fuisse commemorat, sed de bello orientali nullam facit mentionem. Deinde poeta ipse cum superbia quadam se bello Aquitanico interfuisse narrat (I. 7, 9—12.), sed, cum in eodem carmine ad res Messallæ in Oriente gestas transit (I. 7, 13—22.), se amicum etiam eo secutum esse nusquam dicit. Ex verbis poetæ propriis scimus eum in Corcyra remansisse ægrotum et Messallam sociosque sine eo profectos esse in Orientem (I. 3, 1—3.); postea autem, cum iam ex morbo convaluisset, Romam eum ad Deliam reversum esse elucet ex eo, quod l. I. eleg. 2. opponit se viro quodam bellicoso et prædæ cupido, qui relicta Delia castra secutus sit et in Cilicia militet (vss. 65—74.):

Ferreus ille fuit, qui te cum posset habere,
  Maluerit prædas stultus et arma sequi.
Ille licet *Cilicum* victas agat ante catervas
  Ponat et in capto Martia castra solo,
Totus et argento contextus, totus et auro
  Insideat celeri conspiciendus equo:
Ipse boves mea si tecum modo Delia possim
  Iungere et in solo pascere monte pecus,

Et te dum liceat teneris retinere lacertis,
Mollis et in dura sit mihi somnus humo.

Hoc loco poeta procul dubio ad bellum Messallæ in Cilicia gestum alludit vultque dicere: se huic bello amore Deliæ retentum non interfuisse.

V. Num Delia nupta fuerit?

Interpretes Deliam inde ab I. 2. nuptam fuisse putant, quia in I. 2. et 6. ille, qui Deliam in domo sua habet, *vir* (I. 2, 21. et I. 6, 8.) et *coniunx* (I. 2, 41. et I. 6, 15.) vocatur; ipsa etiam Delia *coniunx* (I. 6, 33.) nominatur. Sed hæc nomina non semper significant matrimonium legitimum. Ovidius in *Arte amatoria,* ut ipse sæpissime affirmat, semper de meretricibus loquitur, tamen *viros* appellat eos, qui tales puellas in domo sua habent;[1] etiam *coniunx* sæpe significat *amatorem* aut *amicam,* ut supra in adn. exeg. ad I. 2, 41. docuimus. Tum tantum dicere possemus necessario de matrimonio legitimo agi, si poeta, ut Ovidius facit, ubi matrimonium iustum amori illegitimo opponit,[2] de *marito* et *nupta* loqueretur.

Ex eo certe, quod coniunx ille in I. 2. et 6. Deliam a servis custodiri iubet, verisimile fit non agi de matrimonio iusto, nam Romani uxoribus legitimis tam humilem custodiam imponere non solebant.[3] Pholoen, meretricem ex elegiis Maratho sacratis notam, tenet in tali custodia amator, in

[1] Cf. Ov. A. A. III. 579—658.
[2] A. A. III. 611—614.
[3] Ov. Am. III. 4, 33—34.

cuius domo puella habitat.* Præterea Tibullus in elegia *sexta* (I. 6, 75—82.) Deliam his minis terret:

> Nec sævo sis casta metu, sed mente fideli:
>   Mutuus absenti te mihi servet amor.
> At quæ fida fuit nulli, mox victa senecta
>   Ducit inops tremula stamina torta manu
> Firmaque conductis adnectit licia telis
>   Tractaque de niveo vellere ducta putat.
> Hanc animo gaudente vident iuvenumque catervæ
>   Commemorant merito tot mala ferre senem.

Dicit igitur Deliam, si infidelis futura sit, communi meretricum fato punitum iri: senectute confectam, cum iam nullos inventura sit amatores, victum lanificio miserrime quæsituram. Quod, mea quidem sententia, vix dixisset de femina nupta, quam iura matrimonii legitimi a tali fato defendunt.

VI. De Cerintho Sulpiciæ.

Amator Sulpiciæ, quam poetria in epistulis (IV. 7—12.) et deinde Tibullus in elegidiis de amore Sulpiciæ scriptis (IV. 2—6.) *Cerinthum* nominat, erat vero nomine *Cornutus,* amicus Tibulli, ad quem poeta II. 2. et 3. scripsit. Pars enim codicum II. 2, 9. et II. 3, 1. pro Cornuto *Cerinthum* exhibet, unde iure suspicamur fuisse in archetypo codicum nostrorum notam marginalem antiquæ originis, ubi vero nomini *(Cornutus)* apposita esset nomen fictum *(Cerinthus);* ex hac autem nota partem codicum Cornuti, partem Ce-

* Cf. Tibull. I. 8, 55—60.

rinthi nomen retinuisse. Cui suspicioni favet, quod nomen Cornuti quovis versus loco potest pro nomine ficto reponi.

Præterea in l. II. eleg. 2., ubi Tibullus novo marito. Cornuto, natalem agenti gratulatur, poeta alludit ad elegias suas de amore Sulpiciæ et Cerinthi (IV. 2—6.) scriptas. Tibullus enim hæc dicit de Sulpicia IV. 2, 15—20:

Sola puellarum digna est, cui mollia caris
  Vellera det sucis bis madefacta Tyros,
Possideatque, metit quidquid bene olentibus arvis
  Cultor odoratæ dives Arabs segetis
Et quascumque *niger rubro de litore gemmas*
  Proximus eois colligit Indus aquis.

Laudat igitur Sulpiciam, puellam divitem et luxuriosam, cuius pulchritudini omnia luxus genera maxime conveniant. De Cornuto autem dicit II. 2, 11—16:

Auguror, uxoris fidos optabis amores:
  Iam reor hoc ipsos edidicisse deos.
Nec tibi malueris, totum quæcumque per orbem
  Fortis arat valido rusticus arva bove,
Nec tibi, *gemmarum quidquid felicibus Indis*
  Nascitur, *eoi qua maris unda rubet.*

Hoc loco poeta respicit IV. 2, 19—20. vultque dicere: Cornutum non divitiis gemmisque Sulpiciæ delectari neque quidquam præter fidum eius amorem optare.

In l. IV. eleg. 5. talia verba tribuit Sulpiciæ die natali Cerinthi Venerem adoranti (vss. 13—16.):

Nec tu sis iniusta, Venus: vel serviat æque
  Vinctus uterque tibi, vel mea vincla leva.
Sed potius valida teneamur uterque catena,
  Nulla queat posthac nos soluisse dies.

Poeta autem ipse hæc optat Cornuto, iam marito, natalem agenti (II. 2, 17—20.):

Vota cadunt: utinam strepitantibus advolet alis
  Flavaque coniugio vincula portet Amor,
Vincula, quæ maneant semper, dum tarda senectus
  Inducat rugas inficiatque comas.

In hac repetitione consilium poetæ agnoscere mihi videor: idem optat nunc coniugibus, quod amantibus ante matrimonium optavit.

L. IV. 5, 17—20. inducitur Cerinthus, iuvenis modestus, die natali Genio sacrificans, quem pudeat amorem Sulpiciæ palam rogare:

Optat idem iuvenis, quod nos, sed tectius optat:
  Nam pudet hæc illum dicere verba palam.
At tu, Natalis, quoniam deus omnia sentis,
  Adnue: quid refert, clamne palamne roget?

Eadem est Cornuti modestia, quem II. 2, 9—11. poeta hortatur, ut vota Genio suo palam fateatur:

Adnuat et, Cornute, tibi, quodcumque rogabis.
  En age, quid cessas? Adnuit ille: roga.
Auguror, uxoris fidos optabis amores.

VII. Cui sit l. IV. eleg. 7. tribuenda?

L. IV. eleg. 7. non, ut quidam volunt, Tibullo, sed Sulpiciæ ipsi tribuimus: est enim aptissima conclusio elegidiorum ab ea scriptorum, ut statim videbimus.

Sulpicia amat Cerinthum matre invita (cf. IV. 6, 15—16.). Furtim epistulas versibus scriptas mittit ei, more amantium

in tabulis ceratis. Postquam Cerinthum cum meretrice quadam rem habuisse audivit, hæc scribit iuveni infideli acerba cum ironia:

> Gratum est, securus multum quod iam tibi de me
> Permittis, *subito ne male inepta cadam.*
> Sit tibi cura togæ potior pressumque quasillo
> Scortum, quam Servi filia, Sulpicia.

Sulpicia igitur timuit, ne inepto amore abrepta totam se Cerintho dederet, quare scribit gratum esse sibi, quod infidelitatem Cerinthi tempestive cognoverit; hac enim infidelitate se retentum iri, ne iuveni indigno succumbat. Postea tamen in gratiam redit cum eo et amantes noctu conveniunt: sed vicit amorem virginalis pudor et Sulpicia territa fugit ex amplexu Cerinthi. Postridie iam pænitet eam facti talemque epistulam scribit iuveni (IV. 12.):

> Ne tibi sim, mea lux, æque iam fervida cura,
> Ac videor paucos ante fuisse dies,
> Si quicquam tota commisi stulta iuventa,
> Cuius me fatear pænituisse magis,
> Hesterna quam te solum quod nocte reliqui,
> Ardorem cupiens dissimulare meum.

Sed mox tamen succubuit amori et tum scripsit carmen in quæstionem vocatum (IV. 7.):

> *Tandem venit amor,* qualem texisse pudori,
> Quam nudasse alicui, sit mihi, Fama, magis.
> Exorata meis illum Cytherea Camenis
> Attulit in nostrum deposuitque sinum.
> Exsolvit promissa Venus: mea gaudia narret,
> Dicetur si quis non habuisse sua.

In fine, ad epistulas priores alludens, scribit se has confessiones non, ut antea, tabulis signatis committere velle (vss. 7—10.):

Non ego *signatis* quicquam mandare *tabellis,*
  Ne legat id nemo, quam meus, ante, velim,
Sed peccasse iuvat, vultus componere famæ
  Tædet: cum digno digna fuisse ferar.

Unde hoc carmen epistulis Sulpiciæ adnumerandum esse luculenter apparet.

Contra, si idem carmen Tibullo tribuimus et in fine cycli elegiarum de Sulpicia scriptarum (IV. 2—6.) ponimus, sensu pæne carere videtur. Nam Tibullus, quamquam argumentum elegidiorum suorum ex epistulis Sulpiciæ hausit, amores eius non, ut re vera acciderant, narravit, sed poetarum more mutavit. Sulpicia eius non est puella timida et pudica, quæ amori diu repugnat, sed heroina fabulosæ ætatis, cuius amores non coercentur vitæ cotidianæ rationibus. Aperte enim dicit, cum Cerinthum venandi studio a se abductum esse queritur (IV. 3, 15—18.):

Tum mihi, tum placeant silvæ, si, lux mea, tecum
  Arguar ante ipsas *concubuisse* plagas:
Tum veniat licet ad casses, inlæsus abibit,
  Ne *Veneris cupidæ gaudia* turbet aper.

Die autem natali Cerinthi ita alloquitur amatorem (IV. 5, 7—8.):

Mutuus adsit amor, per te *dulcissima furta*
  Perque meos oculos per geniumque rogo.

Etiam furtivos cum Cerintho congressus frequentes fuisse docet poeta (IV. 6, 11—12.):

Nec possit *cupidos* vigilans deprendere custos
Fallendique vias mille ministret Amor.

Post quæ certe ridiculum esset, si conclusionis loco talia verba tribueret Sulpiciæ: *Tandem venit amor.* Nam Sulpicia Tibulli hunc amorem iam pridem cognovit.

Ceterum Tibullus cyclum elegidiorum (IV. 2—6.) optime finivit IV. 6, 19—20. Iunonem, custodem matrimonii, invocando:

Sis, Iuno, grata, ut, veniet cum proximus annus,
Hoc idem votis iam vetus adsit amor.

Hoc optatum certe aptissima conclusio est carminum Sulpiciæ festo Matronalium dedicatorum neque ullum additamentum patitur.

Addo hoc unum, quod Tibullus interdum nonnullis verbis alludit ad epistulas Sulpiciæ. Cum IV. 6, 9—10. dicit:

ullæ non ille puellæ
Servire aut cuiquam *dignior* illa viro,

consulto repetit verba Sulpiciæ IV. 7, 9—10. lecta:

Sed peccasse iuvat, vultus componere famæ
Tædet: *cum digno digna fuisse* ferar.

Unde l. IV. eleg. 7. ipsi Sulpiciæ tribuendam esse denuo apparet.

VIII. De l. IV. eleg. 2—6.

Elegias de amore Sulpiciæ et Cerinthi scriptas Tibullo abiudicant viri docti quidam hypercritici, quamquam tanta est inter eas et duos priores Tibulli libros rerum verbo-

rumque similitudo, ut facillimum sit in iis eiusdem poetæ manum agnoscere. En tibi exempla nonnulla:

II. 2, 3—4:

Urantur pia tura focis, urantur *odores,*
  Quos tener e terra *divite* mittit *Arabs.*

IV. 2, 17—18:

Possideatque, metit quidquid bene olentibus arvis
  Cultor *odoratæ dives Arabs* segetis.

II. 2, 15—16:

Nec tibi, *gemmarum* quidquid felicibus *Indis*
  Nascitur, *eoi* qua maris unda rubet.

IV. 2, 19—20:

Et quascumque niger *rubro de littore gemmas*
  Proximus *eois* colligit *Indus* aquis.

I. 6, 35:

Te tenet, absentes *alios suspirat amores.*

IV. 5, 11:

Quod si forte *alios* iam nunc *suspiret amores.*

I. 5, 7—8:

Parce tamen, *per te furtivi fœdera lecti,*
  Per Venerem quæso compositumque caput.

IV. 5, 7—8:

Mutuus adsit amor, *per te dulcissima furta*
  Perque tuos oculos per Geniumque rogo.

II. 6, 15—16:

> *Acer Amor*, fractas utinam tua tela sagittas.
> Si licet, exstinctas aspiciamque faces!

IV. 2, 5—6:

> Illius ex oculis, cum vult exurere divos,
> Accendit geminas lampadas *acer Amor*.

I. 6, 24:

> Tunc mihi non oculis *sit timuisse* meis.

IV. 3, 3:

> Nec tibi *sit* duros *acuisse* in prœlia dentes.

Scripsit autem Tibullus hæc carmina post secundum Propertii librum a. fere 25. a. Chr. n. editum; nam IV. 5, 15—16. procul dubio imitatur Prop. II. 15, 25—26., ut supra in adn. exeg. ad h. l. docuimus.

IX. De elegiis libri II.

In libro secundo antiquissima est verisimiliter elegia *prima*, ubi agitur de Ambarvalibus. Scripta est post Messallæ triumphum a. 27. actum (cf. vss. 33.) estque adnumeranda elegiis illis idyllico-eroticis, quales Tibullus inde ab I. 10. plures scripsit (i. e. I. 10; I. 3, 1, 5, 2, 6; I. 7.), quare eam paulo post editum librum primum scriptam esse iure suspiceris. Præcedit certe carmina sub regno Nemesis scripta; cf. II. 1, 67—70. digressionem de Cupidine:

> Ipse quoque inter agros interque armenta Cupido
> Natus et indomitas dicitur inter equas.

Illic indocto primum se exercuit arcu:
  Hei mihi, quam doctas nunc habet ille manus!

Quibuscum versibus comparanda est similis digressio II. 5, 101—112, ubi a descriptione festorum rusticorum transit ad rixas amantium:

Ingeret hic potus iuvenis maledicta puellæ,
  Post modo quæ votis irrita facta velit.
Nam ferus ille suæ plorabit sobrius idem
  Et se iurabit mente fuisse mala.
Pace tua pereant arcus pereantque sagittæ,
  Phœbe, modo in terris erret inermis Amor.
Ars bona: sed postquam sumpsit sibi tela Cupido,
  Heu heu quam multis ars dedit ista malum!
Et mihi præcipue. Iaceo cum saucius annum
  Et faveo morbo, cum iuvat ipse dolor,
Usque cano Nemesim, sine qua versus mihi nullus
  Verba potest iustos aut reperire pedes.

Vides iam discrimen: in *prima* generatim de amore loquitur, in *quinta* occasionem nacta ad Nemesim transit; ex eo igitur, quod in prima nullam facit de Nemesi mentionem, elegiam hanc ante regnum Nemesis scriptam esse verisimile fit.

Inter elegias Nemesi sacratas antiquissima mihi videtur *quarta,* ex cuius initio elucet novum esse adhuc atque insolitum poetæ servitium, in quod incidit (vss. 1—4.):

Hic mihi servitium video dominamque paratam:
  Iam mihi libertas illa paterna vale.
Servitium sed triste datur teneorque catenis
  Et nunquam misero vincla remittit amor.

Hoc carmine poeta Nemesin, puellam avaram (vs. 14.) et

luxuriosam (vss. 27. sqq.), semper plurima promittenti deditam (vs. 39.), lectori notam facit; in ceteris iam carminibus (II. 6. et 3.) de ea, ut nota, loquitur. Nemesis adhuc libera est poetaque quovis modo divitias parare vult, ut animum avaræ sibi conciliet (vss. 21—22.):

At mihi per cædem et facinus sunt dona paranda,
  Ne iaceam clausam flebilis ante domum.

Quartam sequitur *sexta*. Poetam spes nondum destituit (vs. 27.) et Nemesin per Manes sororis parvæ rogat, ut sibi placida sit (vss. 29—40.):

Parce, per immatura tuæ precor ossa sororis:
  Sic bene sub tenera parva quiescat humo.
Illa mihi sancta est, illius dona sepulcro
  Et madefacta meis serta feram lacrimis.
Illius ad tumulum fugiam supplexque sedebo
  Et mea cum muto fata querar cinere.
Non feret usque *suum* te propter flere *clientem*:
  Illius ut verbis, sis mihi lenta veto,
Ne tibi neglecti mittant mala somnia Manes
  Mæstaque sopitæ stet soror ante torum,
Qualis ab excelsa præceps delapsa fenestra
  Venit ad infernos sanguinolenta lacus.

Ex eo, quod se tutelæ Manium puellæ parvæ commendat, elucet sororem Nemesis bona erga poetam voluntate fuisse causamque eius apud Nemesin, dum viveret, egisse. Duravit igitur iam diutius Tibulli cum Nemesi necessitudo. Sed venit lena improba, quæ Nemesi alium amatorem commendavit poetamque ab ea arcere studuit (vss. 49—50.):

Lena necat miserum Phryne furtimque tabellas
  Occulto portans itque reditque sinu:
Sæpe, ego cum dominæ dulces a limine duro

Agnosco voces, hæc negat esse domi:
Sæpe, *ubi nox promissa mihi est,* languere puellam
Nuntiat aut aliquas extimuisse minas.

Ex versu pænultimo elucet Nemesin adhuc liberam fuisse.

Sextam sequitur *tertia.* Nemesis nunc iam amatorem habet ditissimum, libertum quendam, eundem fortasse, cuius causam lena modo commemorata apud puellam egit. Novus hic amator Nemesin ab urbe abduxit in villam suam rusticam (cf. vss. 1—2, 59. sqq.); poeta iam omnem recuperandæ puellæ spem abiecit; opus modo rusticum apud eam facere velit (vss. 7—10, 79—80.), ut dominam interdum videre possit.

Scriptæ sunt elegiæ in Nemesin omnes post tertium Propertii librum a. 22. editum, cuius libri carmina Tibullus sæpius imitatur, ut in adn. exeg. ad II. 4. vss. 15—16, 27—33; II. 6. vs. 8; II. 3. vss. 47, 56, 57, 71—76. docuimus; immo etiam Prop. III. 5. et 12. imitatur, quæ carmina Propertius procul dubio a. 22. a. Chr. n. scripsit, cum Augustus in Orientem proficisceretur, ut signa Crassi a Parthis adempta recuperaret.

Quinta scripta est, postquam poeta Nemesin annum iam amavit et plura in eam carmina scripsit (vss. 109—112.):

. . . iaceo cum saucius *annum*
Et faveo morbo, cum iuvat ipse dolor,
Usque cano Nemesim, sine qua versus mihi nullus
Verba potest iustos aut reperire pedes.

Est igitur fortasse hæc elegia in libro secundo tempore ultima.

Elegia *secunda* (in natalem Cornuti, novi mariti) scripta est post IV. 2—6., ubi Cerinthus (Cornutus) nondum est maritus Sulpiciæ; elegias autem IV. 2—6. post secundum

Propertii librum a. fere 25. editum scriptas esse supra in Excursu VIII. docuimus.

X. De l. IV. eleg. 13—14.

Carmina in amicam innominatam scripsit Tibullus post secundum Propertii librum a. fere 25. editum; nam IV. 13, 8. procul dubio imitatur Prop. II. 25, 29—30., ut supra in adn. exeg. ad h. l. docuimus.

Hanc puellam amavit Tibullus post Deliam et ante Nemesim; nam Nemesim ultimum amorem Tibulli fuisse docemur epicedio Tibulli Ovidiano; cf. Ov. Am. III. 9. 58. (Nemesis de se): «Me tenuit moriens deficiente manu.»

Hæc fuit fortasse Glycera illa, de qua Tibullum elegias scripsisse Hor. Carm. I. 33, 1—4. testatur:

Albi, ne doleas plus nimio memor
Immitis Glyceræ, neu miserabiles
Decantes elegos, cur tibi iunior
Læsa præniteat fide.

Nam Glycera Horatiana non potuit esse Delia, cuius verum nomen Planiam fuisse Apul. apol. 10. testatur; sed ne Nemesis quidem esse potuit, quia Horatius Carm. ll. I—III. a. 23. a. Chr. n. edidit, Tibullus autem, ut supra in Excursu IX. docuimus, carmina in Nemesin post tertium Propertii librum a. 22. editum scripsit.

XI. Summa quæstionum.

Est igitur ordo temporum, quo Tibullus carmina sua scripsit, talis fere:

I. Lusus pæderastici, imitatio Alexandrinorum: I. 4, 8, 9. Ante bellum Aquitanicum a. 31. gestum.

II. Carmina idyllico-erotica, pulcherrimæ Tibulli elegiæ; imitatio Bucolicon et Georgicon Vergilii: 1) I. 10., scripta a. 31., cum poeta ad bellum Aquitanicum proficisceretur; 2) elegiæ Deliæ sacratæ: I. 3, 1, 5, 2, 6. a. 30—27. a. Chr. n.; 3) I. 7, scripta paulo post Messallæ triumphum a. d. VII. Kal. Oct. a. 27. actum; 4) II. 1. (Ambarvalia) post a. 27.

III. Elegidia de amore Sulpiciæ et Cerinthi (Cornuti): 1) IV. 2—6., scriptæ post secundum Propertii librum a. fere 25. editum, antequam Cornutus Sulpiciam uxorem duceret; 2) II. 2. in natalem Cornuti, novi mariti.

IV. Carmina de amica innominata: IV. 13, et 14., scripta post secundum Propertii librum a. fere 25. editum.

V. Regnum Nemesis; imitatio Propertii: 1) II. 4, 6. et 3., scriptæ fortasse a. 21. et 20., procul dubio post tertium Propertii librum a. 22. editum; 2) II. 5. (in honorem Messalini quindecimviri), scripta, postquam Tibullus annum iam Nemesin amavit et plura carmina ei sacravit, fortasse a. 20.

Librum secundum Tibullus a. 20. aut 19. edidisse videtur; mortuus est sub finem a. 19. paulo post Vergilium mense Septembri eius anni mortuum, ut docet Domitii Marsi epigramma in codicibus Tibullianis servatum:

Te quoque Vergilio comitem non æqua, Tibulle,
  Mors iuvenem campos misit ad Elysios,
Ne foret, aut elegis molles qui fleret amores
  Aut caneret forti regia bella pede.

INDEX CARMINUM.

ADDENDA.

I.

I. 4, 44: *Portendat pluvias imbrifer arcus aquas.* Cf. Ov. A. A. III. 173—174: «Aeris ecce color, tum cum sine nubibus aer, Nec tepidus pluvias concitat Auster aquas». Ad pag. 75.

I. 9, 36: *rubras fulminis esse vias.* Cf. Ov. Her. 3, 64: «Aut rutilo missi fulminis igne cremer». Ad pag. 93.

I. 10, 9—10: *somnumque petebat Securus sparsas dux gregis inter oves.* Cf. Ov. Fast. V. 640: «Pascebat sparsas utraque ripa boves». Ad pag. 101.

I. 1, 38: *nec e puris spernite fictilibus.* Cf. Ov. Fast. VI. 310: «Fert missos Vestæ pura patella cibos». Ad pag. 135.

I. 1, 43—44: *tuto requiescere lecto Si licet et solito membra levare toro.* Cf. Catull. 31, 5—10: «Vix mi ipse credens Thyniam atque Bithynos Liquisse campos et videre te *in tuto!* O quid solutis et beatius curis, Cum mens onus reponit ac peregrino Labore fessi venimus larem ad nostrum Desideratoque *adquiescimus lecto*». Ad pag. 136.

II. 1, 64: *Fusus et apposito pollice versat opus.* Cf. Catull. 64, 313—314: «tum prono in pollice torquens Libratum tereti versabat turbine fusum». Ad pag. 208.

IV, 4, 8: *In pelagus rapidis evehat amnis aquis.* Cf. Ov. Met. XV. 325—328: «Amythaone natus, Proetidas attonitas postquam per carmen et herbas Eripuit furiis, *purgamina* mentis in illas Misit aquas». Ad pag. 228.

II. 4, 10: *vitrei maris.* Hoc loco erravi; *vitreum* enim, epi-

theton maris aut deorum marinorum et fluvialium, viridem vitri colorem significat. Cf. Verg. Ge. IV. 334—335. de nymphis Penei: «Milesia vellera nymphæ Carpebant hyali saturo fucata colore»; Auson. Idyll. 10, 418: «hyaloque virentem Pande peplum». Idem significat *hyalinus* Mart. Cap. 1, 66. et 8, 273; idem *hyaloides* Th. Prisc. 4, 2 extr.

II.

Appendicis loco huic libro addere volui versionem Latinam commentationis meæ Hungarice scriptæ et sumptibus Academiæ Litterarum Hungaricæ iam anno 1903. Budapestini editæ, quæ inscribitur *A római elegia viszonya a göröghöz*, ubi necessitudinem, quæ inter poetas elegiacos Romanos et Græcos intercedit, accuratius, quam antea factum est, definire temptavi. Sed nunc iam supervacuum est hoc facere; nam eadem fere post duos annos exposuit *F. Jacoby* in ephemeride Germanica *Rheinisches Museum* (a. 1905. p. 38: «Zur Entstehung der römischen Elegie») nulla facta operis mei mentione. Postea ab editore ephemeridis admonitus ibidem (p. 320.) hæc scripsit: «Soeben geht mir durch Vermittelung der Redaction dieser Zeitschrift ein Aufsatz von Némethy zu, der den Titel *A római elegia viszonya a göröghöz* trägt und am 6. Okt. 1902 der ungarischen Akademie vorgelegt ist. Ueber den Inhalt bin ich, da mir die ungarische Sprache fremd ist, nur durch handschriftliche Angaben des Verfassers am Rande des Sonderabdrucks unterrichtet. Danach scheint es mir, als ob Némethy in allen wesentlichen Punkten zu dem gleichen Urtheil über die Entstehung der römischen Elegie gekommen ist, wie ich. So sehr ich mich einerseits über dieses Zusammentreffen freue, das für die Sache nur förderlich sein kann, so sehr bedaure ich, von *Némethys Arbeit, die ihm die Priorität in der Entscheidung der Frage sichert,* nichts gewusst zu haben. Eine Entschuldigung für diese Unkenntnis bildet vielleicht die Sprache und der entlegene Publi-

kationsort der Arbeit, wie auch die Thatsache, dass bis zur Zeit des Abschlusses meiner Untersuchung — und so viel ich weiss auch später nicht — keine der vielen deutschen Fachzeitschriften eine Besprechung der Publikation gebracht hat. So ist sie auch besseren Kennern der Litteratur, als ich es bin, entgangen. Ich muss mich mit dem Gedanken trösten, dass mein Aufsatz wenigstens dazu dienen wird, der richtigeren Auffassung vom Wesen der römischen Elegie in weiteren Kreisen Bahn zu brechen, als es durch Némethys Arbeit geschehen ist».

Ego libentissime ignosco culpam ingenue fatenti, doleo tamen vehementer non venisse ei in manum ephemeridem Gallicam *Revue critique d'histoire et de litterature* (a. 1903. tom. 55. p. 357.), ubi *I. K.* argumentum disputationis meæ accuratissime enarravit his verbis: «Après avoir achevé ses études sur Virgile, M. *Némethy* aborde maintenant les Élégiaques romains. Dans un mémoire présenté à l'Académie hongroise sur les *Rapports d'élégie romaine avec celle des Grecs* il donne un aperçu général du volume, qu'il veut consacrer aux Élégiaques romains. Il combat l'opinion de ceux, qui prétendent que Gallus avait pris comme modèle Euphorion, tandis que Tibulle et Properce s'inspirèrent de Philetas et de Callimaque. Euphorion n'a pas écrit d'élégie et surtout pas d'élégies érotiques, dont Gallus était le premier représentant original chez les Romains. Philetas et Callimaque quoiqu'ils eussent écrit des élégies érotiques n'exprimaient pas leurs sentiments propres, mais composaient des récits mythiques à sujet érotique. L'élégie lyrique est donc une création romaine et dans celle création la part de Gallus était très grande». Quod non fugit diligentiam editoris ephemeridis Germanicæ *Wochenschrift für klassische Philologie*, ubi (a. 1903. p. 930.) sub titulo *Recensionsverzeichnis* hæc leguntur: «*Némethy G.:* Rapports de l'élégie romaine avec celle des Grecs: *Revue critique* 18 S. 357. Es wird bewiesen, dass die erotische Elegie der Römer einen selbständigen Charakter hatte und Gallus ihr Begründer war».

Nunquam equidem speravi commentationem Hungarice scriptam in republica litterarum posse civitate donari — sumus enim nos Hungari, ut *Széchenyi* noster, maximus ille Hungarorum, olim dixit, tam pauci, ut ne parentis quidem parricida apud nos morte multari debeat — sed his fretus sententiam meam de origine elegiæ Romanæ viris doctis non esse prorsus ignotam putavi ob eamque causam editionem Latinam tam diu distuli.

CORRIGENDA.

P. 26.	vs. 64.	*pro*	s at	*legendum*	stat
P. 71.	vs. 31.	«	οὒατ'	«	οὔατ'
P. 72.	vs. 1.	«	solebrat	«	solebat
P. 113.	vs. 14.	«	E:	«	Et
P. 121.	vs. 24.	«	angusta	«	angusto
P. 136.	vs. 22.	«	conditit	«	condidit
P. 163.	vs. 22.	«	sult	«	sul-
P. 163.	vs. 23.	«	cuperen-	«	cuperent
P. 199.	vs. 16.	«	Laves	«	Lares
P. 232.	vs. 14.	«	1	«	2
P. 233.	vs. 22.	«	ipse	«	ipsa
P. 261.	vs. 13.	«	d	«	de
P. 269.	vs. 25.	«	vinea	«	vineas
P. 271.	vs. 1.	«	emantibus	«	amantibus
P. 271.	vs. 2.	«	arat	«	erat
P. 336.	vs. 19.	«	nacta	«	nactus